

## LA PRIMERA RETÒRICA DEL SEMINARI DE VIC

JAUME MEDINA

Ja des dels primers segles, l'Església considerarà important el coneixement de la Retòrica per tal com aquesta art ofería als qui havien d'escampar la «bona nova» els mitjans necessaris per a poder-ho fer amb encert. Així, sant Agustí deia en el seu tractat *De doctrina christiana* (IV, II, 3): «Nam cum per artem rhetoricam et uera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, aduersus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere ueritatem [...]? [...] Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quae aut persuadenda seu praua seu recta ualet plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet ueritati, si eam mali ad obtinendas peruersas uanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?» És a dir: «Com que la retòrica és l'art de la persuasió tant de la veritat com de la mentida, ¿qui gosarà dir que la veritat ha de trobar-se inermem en els seus defensors contra la mentida [...]? [...] Així doncs, ja que l'art de la paraula ocupa un lloc mitgenc i serveix en gran manera tant per a la persuasió de les coses bones com de les dolentes, ¿per què els bons no es dediquen a aprendre'l a fi d'asseruir-lo a la veritat, quan els dolents l'empren en ús de la iniquitat i de l'error per a defensar causes vanes i perverses?» Des d'aleshores fins als nostres dies, ha estat una constant de l'Església de comptar com a indispensable per a la instrucció dels homes de religió el coneixement de la Retòrica, de manera que sempre aquesta art ha figurat en l'educació cristiana, des de les escoles monàstiques medievals, primeres successores del sistema educatiu romà, fins a les escoles episcopals i a les universitats i posteriorment als seminaris creats pel Concili de Trento (1545-1563).

Com ja se sap, va ser durant l'episcopat de Manuel Muñoz i Guil (1744-1751) que tingué lloc la definitiva fundació del Seminari de Vic<sup>1</sup>. Però no va ser fins a l'episcopat de Bartolomé Sarmiento (1752-1775), més conegut per Sarmentero

---

1. Hom podrà seguir el procés de fundació i posada en funcionament del Seminari de Vic en el llibre de Valentí Girbau i Tàpias, *Església i societat a la Catalunya central. El bisbat de Vic a l'època del bisbe Veyan (1784-1815)*, Barcelona 1996, pàg. 220 ss.

(segons la forma llatinitzada del seu nom), que les humanitats hi començaren a ésser establertes. Això és el que es diu a la *Praeceptio Oratoria ad usum Tridentini Vicensis Seminarii concinnata*, la primera Retòrica que es va fer servir al Seminari de Vic.

Aquesta obra, sortida del taller del tipògraf Pere Morera i Puigjaner<sup>2</sup>, el primer impressor-libreter de Vic, duia un *Imprimatur* datat el 18 i 19 de gener de 1761. L'editor hi posava dos escrits previs: un d'adreçat al bisbe i un altre al lector. Pel primer sabem que va ser el bisbe Sarmiento qui establí els estudis humanístics en el seminari. Deia: «...després d'haver ampliat el Seminari Tridentí, erigit poc temps abans pel teu il·lustríssim antecessor, ara per tal de fer brillar més la teva summa benevolència envers nosaltres, has volgut establir-hi els estudis de les Arts Liberals...» I continuava: «...aquesta teva propensió a ampliar els estudis de les lletres humanes en el nostre Seminari, ha portat el meu ànim a oferir com a petítíssim obsequi a la teva beneficència aquesta *Preceptiva Oratòria* composta per als estudiants de l'eloqüència, i no dubto que sota el teu patronatge es trobarà més protegida i serà més fàcilment divulgada...»

En un segon pròleg adreçat *Al lector*, el tipògraf exposava les raons per les quals havia triat precisament aquesta obra per a les classes de retòrica del Seminari. Deia: «La *Parènesi* o *Preceptiva Oratòria* que edità el Reverendíssim P. Agustí de Sant Joan Baptista, ex-provincial de les Escoles Pies i Rector del Col·legi de València, és una obra tan aprovada pel judici de tothom, tan útil al jovent estudiós de les lletres humanes, que no sembla que n'hi pugui haver cap altra de més idònia per a formar-se fàcilment en l'Eloqüència». I després feia algunes precisions respecte a l'edició que oferia al públic: «Tanmateix –afirmava–, en aquesta obra hi ha algunes parts més prolixes del que és possible que assimili la memòria dels estudiosos de l'Eloqüència. En el compendi d'ella, moltes coses semblaven haver estat massa resumides». És a dir, que, segons el que conta l'editor, la *Preceptiva Oratòria* del P. Agustí de St. Joan Baptista comptava amb dues versions: una d'extensa i una altra de resumida. I després continuava, encara: «Per això hem confegit aquest llibret a partir de l'una i de l'altra, tot seleccionant-ne el millor, a fi que hom no hi trobi res de superflu, ni s'hi trobi a faltar res del que és considerat necessari per a una bona formació en l'Eloqüència».

En efecte, la *Praeceptio Oratoria ad usum Tridentini Vicensis Seminarii concinnata* havia estat «deprompta», és a dir, extreta de la que havia publicat el P. Agustí de Sant Joan Baptista a València, amb el títol de *Paraenesis Oratoria cum optimis auctoribus in octo libros digesta*, set anys abans, o sigui el 1754, de la qual hem trobat un exemplar a la Biblioteca de la Universitat de Barcelona.

---

2. Vegeu: Antoni Pladevall i Arumí, *La Il·lustració a Vic. Les aportacions de Francesc de Veyan i Mola (1734-1815) i Lluçia Gallisà i Costa (1731-1810)*. Tesi doctoral llegida a la Universitat Autònoma de Barcelona el 27 d'abril de 1999, pàg. 26 ss.

L'edició vigatana tenia 96 pàgines, amb un tipus de lletra força gros; l'edició de València en tenia 183, amb una lletra força petita. Per tant, l'edició de Vic reduïa el tractat original més o menys a la meitat. N'hi haurà prou de contrastar el començament de les dues versions del tractat. En efecte, el lector es podrà fer perfectament càrrec de l'operació duta a terme per l'editor vigatà si compara l'entrada i el primer capítol de l'edició valenciana –que transcrivim tot seguit– amb els de la vigatana, que publiquem sencera més avall. Així, a l'edició valenciana, l'autor diu:

### **Communiora Rhetoricae documenta recensentur.**

«Quoniam praecepta *Seminis modo spargenda sunt*; (Senec. Ep. 38) iccirco Paraenesis, sive Praeceptio haec Oratoria, seu Rhetorica perpaucis, ast necessarii praeceptis diffundetur: ex his enim ingeniorum ubertas, uberes opportuno tempore reddet fructus.

### **Caput I. De Natura, Officio, Fine & Utilitate Rhetoricae.**

Quid est Rhetorica? Rhetorica graece, latine Dictio, Eloquentia, vel Oratoria, est: *Ars bene dicendi*.

Estne haec definitio recta? Est profecto: quia genere constat, & differentia: *Ars* enim genus est, quum pluribus aliis sit communis: *Bene dicendi* est differentia: *Bene dicere* namque soli Rhetoricae convenit.

Quid est *Ars*? Certa, & constans rei bene faciendae ratio, seu facultas.

Quid est, *Bene dicere*? Ornate, graviter, & copiose loqui, (Quintil. 1.8 c.15) atque apte ad persuadendum.

Quot sunt Artium genera? Duo: Liberales aliae; aliae Mechanicae: primae continentur in distichi sequentis hexametro; secundae in pentametro.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Astra:  
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Quaenam ars est Rhetorica? Liberalis: quia homines liberos, & ingenuos decet: immo Reges etiam reddit illustriores.

Quot sunt species Rhetoricae? Duae: altera naturalis, ab Auctore naturae insita, quae, lumine naturali duce, non pauca dicit apposite, imperfecte tamen: artificialis altera, quae primo humani generis parenti Adamo divinitus oblata, praecepta bene dicendi complectitur.

Quot sunt *bene dicendi* artes? Duae: aperta, & latens.

Quid est ars aperta? Quae quidquid dicendo efficit, palam prodit, ac saepe ostentat. De hac Quintilianus: *Si apparet, perit*. Ea fere est ars Taciti, Lucani, &c.

Quid est ars latens? Quae res omnes operose excogitatas ita elaborat, ac proponit sine ullo fastu, ut nativa ratione, atque luce, nulla autem arte cogitatae, ac illu-

minatae esse videantur. Haec sane optima, ac Ciceronis, Caesaris, Virgilii, Horatii, &c. propria. *Ars enim latens summa artis perfectio est.* (Camillus noster l. I. Ins. Rhet. c. 10)

Quodnam est officium Rhetoricae? Rhetoricae, ac oratoris officium est: *Dicere ad persuadendum accommodate.* (Cic. I. de Orat. c. 31) Hoc est ea excogitare, ornare, oratione complecti, quae ad persuadendum valeant.

Quisnam est finis Rhetoricae, & inde Oratoris? *Persuadere dictione:* persuadet autem Orator docendo, delectando, praecipue tamen permovendo: docet vero, delectat pulchro, permovet bono.

Quid est Rhetor, Orator, & Declamator? Rhetor graece, latine Orator, est: *Vir bonus dicendi peritus.* (Cato apud Quint. l. 12. c. 1.) *Stricte vero Rhetor est, qui praecepta dicendi tradit:* Orator, qui praeceptis utitur: Declamator, qui exercitii gratia causas fictas agit.

Estne utilis Rhetorica? Maxime: quia fabricator mundi nullo magis hominem separavit a ceteris... animalibus, quam dicendi facultate; (Quintil. l. 2. c. 17) ac proinde Oratorem a reliquis: ipse enim regit consilii Urbes, fundat legibus, emendat iudiciis. (Idem prooem. Orat. Instit.) Hinc murus Atheniensium dictus Demosthenes. (Cic. I. de Or. c. 8)

## REMOVENTUR DIFFICULTATES.

Grammatica est ars bene dicendi: quoniam barbarismos expellit, & soloecismos: ergo definitio Rhetoricae competit Grammaticae.

Respondeo, Grammaticam esse artem bene dicendi ea tantum ratione, qua docet emendate sine barbarismo, & soloecismo loqui; non tamen copiose, concinne, & ornate per tropos, ac figuras, quod est proprium Rhetoricae. Unde Grammatica potius est ars bene loquendi; Rhetorica vero ars eloquendi, seu bene dicendi.

Quid sentis de Historico? Solum narrat rem gestam, non intendendo fine, ut ea quis moveatur.

Quid de poeta? Poeta fingit, eadem etiam efferendo oratione ligata, quae solet Orator soluta.

Quid de Dialectico? Stricte sua probat; Orator vero fuse. Hinc Dialectica comparatur pugno, seu manui compressae; Rhetorica extensae.

Ars, sive artifex cognoscit quando finem consequitur, exempli causa: Architector cognoscit quando domus constructa est; Oratoria, seu Orator non cognoscit an persuaserit, necne: ergo.

Respondeo, Oratoriam, ac exinde Oratorem cognoscere quando finem internum, & proximum consequitur, qui est apta persuasio, aut vis persuadendi: cognoscit enim, se apte dicere ad persuadendum; quia veluti ars liberalis, respicit opus internum tamquam finem proximum; non vero externum, persuasionem

scilicet, in auditoribus, nisi ut finem remotum, & externum. Ars autem Mechanica respicit praxim, veluti Architectura, & propterea tendit in opus externum uti in finem proximum.

Miracula, facies miserabilis, pecunia, &c. movent affectus, & persuadent: igitur persuadere non est proprius finis Oratoriae.

Respondeo, praedicta omnia persuadere sine dictione; Oratoria tamen dictione persuadet.

Dices: Mendicus etiam dictione permovet ad eleemosynam elargiendam: ergo erit Rhetor, quin didicerit.

Respondeo, Mendicum permovere imperfecte dictione naturali; ast Orator perfecte suadet dictione artificiali ex praeceptis orta, copiosa, & ornata.

Vir malus est etiam dicendi peritus: ergo. Respondeo, esse dicendi peritum verbo; non tamen reipsa: quia numquam finem eloquentiae, vim scilicet persuadendi consequetur: nemo enim sanae mentis se tradet ei ducendum. Quare *mores ante omnia Oratori studiis erunt excolendi*. (Quintil. l. 12. c. 2).»

Evidentment, la versió valenciana és molt més extensa i desenrotlla molt més àmpliament els temes que no pas la vigatana.

El que és més difícil és trobar el compendi o resum d'aquest tractat a què fa al·lusió el tipògraf vigatà en la seva edició de 1761. En efecte, a la Biblioteca de la Universitat de Barcelona no existeix cap obra del nostre autor amb el títol de «Compendium o Epítome paraenseos oratoriae», com sembla que s'hauria d'anomenar l'esmentat resum. En la seva magna obra, Antoni Palau i Dulcet<sup>3</sup> esmenta una obra d'aquest autor que és a la Biblioteca de la Universitat de Saragossa; es tracta del llibre: «Artificiosae Orationis sive Rhetoricarum institutorum Epitome, cui annectuntur Methodus Epistolaris, &c. aditus ad Parnassum ex Tullio Quintiliano. Camillo, Suspensio, aliisque probatis Auctoribus collecta. Auctore P. Augustino A. S. Joanne Baptista, Clericorum Regularium Pauperium Matris Dei Scholarum Piarum *Superiorum permissio Caesar-Augus. Apud Michaelem Montañes, Regii Nosecomii Deiparae de Gratia Typographum*», publicat l'any 1730. Potser és en aquest volum on cal anar a cercar la versió resumida del nostre tractat de retòrica.

Dionisio Cueva<sup>4</sup> dona una breu biografia del nostre autor, anomenat Agustín Paúl (Estopiñán, Osca, 17-1-1692 - Barbastro, 29-3-1755). Diu: «Ingresó en Peralta el 28-8-1712 y profesó el 19-8-1714, bien probada su vocación por el Obispo de Urgel, Fr. Julián Cano y Tovar, quien lo sacó del noviciado el 10-3-

3. Antonio Palau y Dulcet, *Manual del librero hispanoamericano*, Tomo XIX, Barcelona 1967, pàg. 164

4. Vegeu: *Diccionario Enciclopédico Escolapio*, Vol. II. Biografías de Escolapios. Ediciones Calasancias - Salamanca, 1983, pàg. 422.

1712 a requerimiento de la familia y lo devolvió el 5 de abril del mismo año. Hizo especiales estudios de humanidades, para las que tenía muy buenas cualidades. Destinado a la fundación de Barbastro (1721), donde permaneció diez y ocho años; fue Rector (1724-1729), impulsó las obras del colegio y ganó fama como excelente maestro y director espiritual. Abrió el colegio de Alcañiz y fue su rector durante diez años (1729-1739). En este último año fue nombrado Provincial y rigió por un trienio las Escuelas Pías de España (1739-1742). En 1746 se encargó de la dirección del colegio de Villacarriedo, que se fundaba entonces. De allí pasó al rectorado del colegio de Valencia (1751-1754). Esta enumeración de cargos, y la circunstancia de haber sido Rector de tres nuevas fundaciones, no impidieron al P. Paúl escribir y publicar varias obras, que revelan por sus conocimientos filológicos y gramaticales y por sus métodos didácticos, al sabio humanista y pedagogo. Supo ser conciso en la expresión y profundo en ideas. Verdadero renovador de métodos. Su influencia en la futura elaboración de textos y antologías para el estudio de los clásicos latinos fue extraordinaria y se ha dejado sentir dentro de la Orden hasta tiempo reciente. Redactó, junto con el P. Ambrosio Lasala, el primer “método uniforme para las escuelas”, publicado en 1754. El prólogo de su gramática latina es un verdadero método, lleno de aciertos. Sentó las bases para la enseñanza del latín en el siglo XVIII. Continuaron su línea los PP. Pedro Celma y Benito Feliu». A més de la *Paraenesis oratoria*, de què hem parlat més amunt, publicada a València el 1754, és autor de les obres següents: *Compendio de la gramática latina con la explicación y notas...para uso de las Escuelas Pías de Cataluña*, Barcelona, Niubó, publicada el 1877 i en altres ocasions; *Prosodia de la lengua latina explicada, e ilustrada con los mejores autores*, València, 1752; *Crisis syntactica hispano-latina*, València 1753; *Etymologia de los generos, y preteritos, ilustrada con los mejores autores*, València, s/d; *Etymologia, y orthographia de la lengua latina, ilustrada con los mejores autores*, València, 1746; *Gramática de la lengua latina para uso de las Escuelas Pías*, València 1769; *Primera parte de la gramática latina, con explicación y notas...reducidas a compendio para uso de las Escuelas*, que veié la llum a Barcelona, Girona, Mataró i Vic en diverses dates, entre 1772 i 1879; *Segunda parte de la gramática latina con las reglas y explicación...reducidas a compendio para uso de las Escuelas*, amb edicions també a Barcelona, Girona, Mataró i Vic, entre 1772 i 1879.

La present edició de la *Praeceptio oratoria ad usum Tridentini Vicensis Seminarii concinnata* reproduïx fidelment el text de l'exemplar de l'obra que es troba a la Secció Hemeroteca Vic, Fons del Seminari, de l'Arxiu Episcopal de Vic.

No volem acabar aquest breu treball sense manifestar el nostre agraïment al P. Joan Florensa i Parés, escolapi, que al seu dia ens va atendre amb tota amabilitat i ens va facilitar generosament una bona part de la documentació emprada per a confeïgir el nostre estudi.

**PRAECEPTIO ORATORIA AD USUM TRIDENTINI  
VICENSIS SEMINARII CONCINNATA.  
DEPROMPTA AB EA, QUAM EDIDIT R. ADMODUM P. AUGUSTINUS A S.  
JOANNE BAPTISTA SCHOLARUM PIARUM EX-PROVINCIALIS,  
& IN COLLEGIO VALENTINO RECTOR.  
VICI. EX-OFFICINA PETRI MORERA TYPOGRAPHI.**

*Die 18. Januarii 1761. Imprimatur. Carrancio de Medina Vic. Gen. & Off.*

*Dia 19. de Enero 1761. Imprimasse. De Graell Decano.*

Illmo., et Revmo. D.D.D. Fr. Bartholomaeo Sarmentero dignissimo Vicensi Episcopo, Regioque Consiliario, &c.

Quod maxime optabat Vicensis Civitas, & quod unum ad Tridentini Seminarii honorem, totiusque Urbis utilitatem unice deerat, id summa tua, Illme. Praesul, autoritate institutum est. Nam cum Tridentinum Seminarium ab Illmo. Antecessore tuo paulo ante erectum amplificasses, nunc, ut summa tua erga nos benevolentia magis eluceat Ingenuarum Artium studia non sine uberrimo fructu in eo statuere voluisti.

Haec igitur tua ad humaniorum litterarum studia in hoc nostro Seminario amplificanda propensio animum meum adduxit, ut Praeceptionem hanc Oratoriam pro Candidatis Eloquentiae concinnatam perexiguam sane beneficentiae tuae munus exhibeam, quod tuo munitam patrocinio tutius, faciliusque evulgatam iri non dubitem. Quod superest tandem pro tot, tantisque a te acceptis beneficiis omnes tibi gratias agimus, & diuturnam tibi aetatem a Deo obsecramus, ut in Seminario nostro sapientiam valeas, prudentiam, liberalitatem, & singularem erga pauperes charitatem ostendere. Etiam, atque etiam vale, & hoc meum erga te studium aequi, bonique consule.

*ILL. DOMINATIONIS TUAE OBSEQUENTISSIMUS SERVUS  
Petrus Morera Typographus.*

**TYPOGRAPHUS LECTORI.**

Paraenesis, sive Praeceptio Oratoria quam edidit R. admodum P. Augustinus a S. Joanne Baptista Scholarum Piarum Ex-Propincialis, & in Collegio Valentino Rector opus est ita omnium iudicio probatum, ita humaniorum litterarum studiosae iuventuti perutile, ut nullum aliud ad Eloquentiam facillime comparandam idoneum magis esse videatur. Plura tamen in ea reperiuntur prolixiora, quam ut ab Eloquentiae Studiosis memoriae commendari possint. In ejus compendio plura nimis contracta esse videbantur. Idcirco libellum hunc ex utroque optima quaeque seligendo contexuimus, ut nihil in eo superfluum, nihil ex his, quae ad Eloquentiam comparandam necessaria iudicantur praetermissum inveniatur. Utinam exitus optatis respondeant, & Auditorum eruditio assiduis elucubrationibus instructa eximiorum fructuum recipiat incrementa. Vale.

*INDEX TITULORUM PRAECEPTIONIS ORATORIAE.*

*LIBER I. COMMUNIORA RHETORICAE DOCUMENTA RECENSENTUR.*

Cap. I. De natura, officio, fine & utilitate Rhetoricae.

Cap. II. De materia Rhetoricae.

Cap. III. De Causarum generibus.

Cap. IV. De partibus Rhetoricae, & modis, quibus comparatur.

*LIBER II. DE ELOCUTIONE.*

- Cap. I. Quid sit Elocutio, & quot ejus proprietates.  
 Cap. II. De Latinitate orationis.  
 Cap. III. De Orationis ornatu, & tribus Verborum generibus.  
 Cap. IV. De Tropis, & eorum generibus.  
 Cap. V. De Tropis dictionis.  
 Cap. VI. De Tropis orationis.  
 Cap. VII. De Figuris.  
 Cap. VIII. De Figuris verborum, quae fiunt per adjectionem.  
 Cap. IX. De Figuris verborum quae fiunt per detractorem.  
 Cap. X. De Figuris verborum, quae fiunt per similitudinem.  
 Cap. XI. De Figuris sententiarum.  
 Cap. XII. De Sententiis, & Adagiis.  
 Cap. XIII. De Concinnitate, & Congruentia orationis.  
*Appendix concisa de Elegantiis.*  
 Cap. I. De Nominum Collocatione.  
 Cap. II. De Pronominum collocatione.  
 Cap. III. De Verborum collocatione.  
 Cap. IV. De Participiorum, Praepositionumque collocatione.  
 Cap. V. De Adverbiorum, Interjectionum, Conjunctionumque collocatione.

*LIBER III. DE INVENTIONE.*

- Cap. I. Quid sit Argumentum, & quot loci arguendi.  
 Cap. II. De Locis internis.  
 Cap. III. De Locis remotis.  
 Cap. IV. De Argumentatione.  
 Cap. V. De Amplificatione.  
 Cap. VI. Motuum, sive affectuum concitandorum fontes aperiuntur.  
 § I. De Amore, Desiderio, & Gaudio.  
 § II. De Odio, Fuga, & Tristitia.  
 § III. De Spe, & Desperatione.  
 § IV. De Timore, Audacia, & Ira.

*PRAECEPTIONIS ORATORIAE, LIBER IV. DE DISPOSITIONE.*

- Cap. I. Quid sit Dispositio, & quot ejus partes.  
 Cap. II. De Exordio.  
 Cap. III. De Exordiorum fontibus.  
 Cap. IV. De Exordii virtutibus, & vitiis.  
 Cap. V. De Propositione.  
 Cap. VI. De Narratione, & ejus virtutibus.  
 Cap. VII. De Confirmatione.  
 Cap. VIII. De Refutatione.  
 Cap. IX. De Epilogo.  
 Cap. X. De Progymnasmatis.

*LIBER V. DE MEMORIA, & PRONUNTIATIONE.*

- Cap. I. De memoria.  
 Cap. II. De Pronuntiatione.



## PRAECEPTIONIS ORATORIAE LIBER I.

### COMMUNIORA RHETORICAE DOCUMENTA RECENSENTUR.

Quoniam praecepta: *Seminis modo spargenda sunt*; (Senec. Ep. 38) idcirco Praeceptio haec Oratoria, seu Rhetorica perpaucis ast necessariis praeceptis diffundetur. Ex his enim ingeniorum ubertas, uberes oportuno tempore reddet fructus.

### CAP. I. DE NATURA, OFFICIO, FINE, ET UTILITATE RHETORICAE.

Quid est Rhetorica? Rhetorica Graece, Latine Dictio, Eloquentia, vel Oratoria, est: *Ars bene dicendi*.

Quid est Ars? *Certa, & constans rei bene faciendae, ratio, seu facultas*.

Quid est *bene dicere*? Ornate, graviter, & copiose loqui (*Quintil. Lib. 8. cap. 15*) atque apte ad persuadendum.

In quo differt Rhetorica a Grammatica?

Respondeo, Grammaticam esse artem bene dicendi, ea tantum ratione, qua docet emendate sine barbarismo, & soloecismo loqui; non tamen copiose, concinne, & ornate per tropos, ac figuras, & in hoc differt Grammatica a Rhetorica. Unde Grammatica potius est ars bene loquendi; Rhetorica vero ars eloquendi, seu bene dicendi.

Quaenam ars est Rhetorica? Liberalis: quia homines liberos, & ingenuos decet: imo Reges etiam reddit illustriores.

Quot sunt species Rhetoricae? Duae: altera naturalis ab Auctore naturae insita, quae, lumine naturali duce, non pauca dicit apposite, imperfecte tamen: artificialis altera; quae primo humano generis parenti Adamo divinitus oblata, praecepta bene dicendi complectitur.

Quot sunt *bene dicendi* artes? Duae: aperta, & latens.

Quid est ars aperta? Quae quidquid dicendo afficit, palam prodit, ac saepe ostentat. De hac Quintilianus: *Si apparet, perit*. Ea fere est ars Taciti, Lucani, &c.

Quid est ars latens? Quae res omnes operose excogitat, ita elaborat, ac proponit sine ullo fastu, ut nativa ratione, atque luce, nulla autem arte cogitatae, ac illuminatae esse videantur. Haec sane optima, ac Ciceronis, Caesaris, Virgili, Horatii, &c. propria; *ars enim latens summa artis perfectio est*. (*Camillus lib. I. Ins. Rhet. c. 10*).

Quodnam est officium Rhetoricae? Rhetoricae, ac Oratoris officium est: *dicere ad persuadendum accommodate*. (*Cic., I, de Orat. c. 31*). Hoc est ea excogitare, ornare, oratione complecti, quae ad persuadendum valeant.

Quisnam est finis Rhetoricae, & inde Oratoris? *Persuadere dictione*: persuadet autem Orator docendo, delectando, praecipue tamen permovendo: docet vero, delectat pulchro, permovet bono.

Quid est Rhetor, Orator, & Declamator? Rhetor graece, latine Orator, est: *Vir bonus dicendi peritus*. (*Cato apud Quintil. l. 12. c. 1*). Stricte vero Rhetor est, qui praecepta dicendi tradit: Orator, qui praeceptis utitur: Declamator, qui exercitii gratia causas fictas agit.

Estne utilis Rhetorica? Maxime: quia fabricator mundi nullo magis hominem separavit a caeteris... animalibus, quam dicendi facultate; (*Quintil. l. 2. C. 17*); ac proinde Oratorem a reliquis; ipse enim regit consilium urbes, fundat legibus, emendat iudiciis. (*Idem. Prooem. Orat. Inst.*). Hinc murus Atheniensium dictus Demosthenes. (*Cic. I, de Orat. cap. 8*).

### CAP. II. DE MATHERIA RHETORICAE.

Quaenam est cujuslibet artis materia? Est ea, qua ars ipsa versatur. Quaenam est igitur materia Rhetoricae? Res omnis quaestioni subjecta, vel de qua potest quaestio formari. Unde Tullius 3. De Orat. *Omnia Oratori, quae sunt in hominum vita, quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata, esse debent*.

Quid est quaestio? Quaestio, seu controversia, est: Rei in dubium vocatae comprehensio, v.gr. Si alter dicat: Litterae sunt homini maximum ornamentum: Alter contra: litterae non sunt homini maximum ornamentum, propositio, quae ex utriusque partis conflictione nascitur, nempe: An litterae sint homini maximum ornamentum, appellatur *quaestio*.

Quot sunt quaestionum genera? Duo: altera est quaestio infinita, quae a Graecis thesis dicitur, a Latinis propositum, seu quaestio universalis, dum aliquid generatim inquiritur sine circumstantia personae, loci temporis, aut negotii, v.gr. *An sit utilis historiae cognitio?*

Altera finita, quae graece hypothesis, latine causa, vel quaestio particularis nominatur, v.gr. *An juveni sint vitandi suspecti comites.*

Hypothesis, seu causa potest dicendo, thesim, seu propositum complecti, ut si generaliter Philosophia laudetur, deinde in aliquam certi Auctoris Philosophiam argumenta congerantur.

Quot insuper utriusque quaestionis sunt species? Duae: altera cognitionis, cujus finis est scientia, v.gr. *an luna sit major sole?* Altera actionis, cujus finis est actio, ut: *An urbs Caesarugusta sit moenibus cingenda?*

Quaestio adhuc altera est actualis, cui praefigitur dictio *an*, v.g. *An virtus sit colenda?* Altera virtualis, cui non praefigitur *an*, ut: *Virtus est colenda.*

Omnes igitur quaestiones sive finitae, sive finitae, sunt materia Rhetoricae, seu objectum materiale; licet magis proprium sit Oratori causas tractare, quam proposita; quia res omnis plerumque laudatur, deliberatur, aut judicatur cum aliqua circumstantia personae, loci, &c. Objectum vero formale Rhetoricae est ipse probandi specialis modus.

### CAP. III. DE CAUSARUM GENERIBUS.

Quot sunt genera causarum sive quaestionis finitae? Tria: Demonstrativum, Deliberativum, & Judiciale.

Quid est genus Demonstrativum, aut exornativum? Quod virtutem laudat, & vituperat vitium: finis ejus honestas.

Quid est genus Deliberativum, aut suasorium? Quod suadet utile, & inutile dissuadet: finis ejus utilitas.

Quid est genus Judiciale? Quod defendit justum, & injustum accusat: finis ejus justitia, aut aequitas.

Cur tantum sunt tria causarum genera? Quia tria sunt tantum genera auditorum, & temporum. Etenim vel requirit aliquis tandem de praeterito, aut praesenti, quod fit per Demonstrativum: vel capit consilium in futurum, quod per Deliberativum datur, vel iudicium expetit de praeterito, quod per Judiciale exercetur: igitur caet.

### CAP. IV. DE PARTIBUS RHETORICAE, ET MODIS QUIBUS COMPARATUR.

Quot sunt partes Rhetoricae? Quinque: Elocutio, Inventio, Dispositio, Memoria, Pronuntiatio.

Quid est Elocutio? Idoneorum verborum, ac sententiarum ad res explicandas usus.

Quid est Inventio? Excogitatio argumentorum, quibus probet Orator, quod proponit.

Quid est Dispositio? Rerum inventarum, & argumentorum in ordinem distributio.

Quid est Memoria? Firma dispositarum rerum, ac rationum perceptio.

Quid est Pronuntiatio? *Totius corporis, vocis, ac vultus cum dignitate moderatio.*

Quot modis Eloquentia comparatur? Quatuor: 1. Natura, in qua sit ingenium, ad excogitandum acutum; uber ad explicandum, & ornandum; atque ad memoriam firmum: quod si alicui desit, non magis Oratoriae praecepta proderunt, quam agrorum cultus sterilibus terris.

2. Arte, quae quibusdam praeceptis expolit ea, quae in nobis natura insita sunt. Natura quidem, & ingenium perficiuntur arte, quae, Platone teste, potius Magistri voce, quam lectione comparanda est, cum in voce, vis quaedam existat, quae non inest lectioni.

3. Exercitatione, assidue meditando, legendo, scribendo, dicendo: quo vere acquiritur excogitandi promptitudo, memoriae firmitas, linguae celeritas, vocis moderatio.

4. Imitatione, qua optimorum Auctorum optima, quasi in nostra bene vertimus: 1. Paululum immutando verba, & locutiones, aut omnino aliud contendendo. Secundo, ad rem nostram aliquid addendo, illuminando, perficiendo, ut imitatum superet imitator; quodque imitatione fit, ne ante factum esse videatur.

Propterea enim Terentium, Virgilium, Horatium, Caesarem, Ciceronem, Nepotem animi gratia diu, noctuque volve, perpende, familiares tibi effice.

## LIBER II. DE ELOCUTIONE.

Primum ad eloquentiam gradum ab Elocutione dirigimus: *Haec namque Rhetoricae pars est utilissima, omniumque venustissima, ac caeteris facilior.*

### CAP. I. QUID SIT ELOCUTIO, ET QUOT EJUS PROPRIETATES?

Quid est Elocutio? Elocutio latine, graece Phrasis, est: Idoneorum verborum, ac sententiarum ad res inventas accommodatio, nimirum ornata, & elegans dicendi ratio, qua Orator mentem aperit, atque animi sensa perspicue, & vivide in audientium animos transfundit.

Quot sunt Elocutionis proprietates? Quatuor: Latinitas, ornatus, concinnitas, & congruentia. (*Heinec. par. I. cap. 2.*)

Demonstra exemplo. Si quis, v.g. Corinthi excidium descripturus, ita loquatur: *Lucius Mummius Corinthum Graeciae oculum, cum Romam majestatem parum suscipere videretur, mira severitate effodit.*

Hic adest 1. Latinitas, omnia enim verba latina sunt, & pura. 2. Ornatus per verba translata, oculum nempe, &c. 3. Concinnitas, qua in justam mensuram, & periodum verba compinguntur. 4. Congruentia, quia debitus dicendi character, & stylus observatur. De quibus modo sigillatim.

### CAP. II. DE LATINITATE ORATIONIS.

Quid est Latinitas? Quae orationi puritatem conciliat.

Quae verba censentur latina? 1. Quae ex optimis, & probatis Auctoribus desumuntur, ut Tullio, Marco Antonio, Mureto, &c. v.gr. *Civitas frequens, melius, quam populosa.* 2. Quae in Latio nata sunt, v.gr. *Consul, Senatus.* 3. Aut Civitate Latinorum donata, ut: *Antidotum, ancora.* 4. Ne sint ex iis, quae sequenti Andreae Trusii disticho numerantur:

Sordida, prisca, nova, antiquata, poetica, dura,

Turpia, rara nimis, vel peregrina cave.

Quibus adde voces hybridas, quae ex diversis linguis conflantur, veluti: *Monoculus*, ex graeco *mono*, & latino *oculus*. Veteribus placet: *Unoculus*. Aliqua vero per usum veluti jus Civitatis latinae obtinuerunt, v.g. *Epitogium, biclinium.*

Quot virtutes habere debent verba in oratione? Duas praecipue, ut: *clara sint, & plena.*

*Clara*, ut intelligantur: *Summa quippe stultitia est ita loqui velle, ut non intelligaris!*

*Plena*, quae rationum pondere pro qualitate, & characterem dicendi firmentur.

### CAP. III. DE ORATIONIS ORNATU, ET TRIBUS VERBORUM GENERIBUS.

Quid est Orationis ornatus? Egregius orationis cultus per speciosa verborum, ac sententiarum lumina comparatus.

Quot sunt Orationis ornatus? Quatuor praecipui: Tropi, Figurae, Sententiae, Adagia.

Quot sunt verborum genera? Tria: Obsoleta, & inusitata, ut: *Exoculatus* pro caeco. Nova, quae quis denuo format ad suam mentem facilius aperiendam, ut: *Romanizo*, id est more romanorum loquor. Translata, quae ab una re propria ad aliam cum dignitate transferuntur, ut: *Scholarum Angelus* pro D. Thoma Aquinate; *Apostolorum Princeps* pro Sancto Petro.

Primum genus omnino respuit elegans Orator. Secundum parce admodum usurpat. Tertium tanquam insigne orationis lumen frequenter adhibet. Haec verba translata graecae Tropi dicuntur.

### CAP. IV. DE TROPIS, ET EORUM GENERIBUS.

Quid est Tropus? *Verbi, aut sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.*

Est igitur verborum translatio ab iis significandis, quibus proprie conveniunt ad alia, quorum propria non sunt, sed cum virtute, nimirum cum aliqua proportionem, & convenientiam, ex.c. serenitas proprie ad Coelum pertinet, risus ad hominem: cum tamen inter serenitatem, & risum quaedam intercedat emicantis laetitiae convenientia, idcirco serenitatem Coeli risum dices; risum vero vultus serenitatem.

Quot sunt Troporum genera? Duo: alterum verbi, seu dictionis, quod verbum aliquod a propria significatione in aliam convertit: alterum sermonis, aut orationis, quod ipsam sententiam ad aliud significandum immutat.

Quot sunt Troporum species in uno verbo? Septem: 1. Metaphora. 2. Synecdoche. 3. Metonymia. 4. Antonomasia. 5. Onomatopoeia. 6. Catachresis. 7. Metalepsis.

Quot sunt tropi, sermonis, aut sententiarum? Tres: 1. Allegoria. 2. Periphrasis. 3. Hyperbole.

#### CAP. V. DE TROPIS DICTIONIS.

##### METAPHORA.

Quid est Metaphora? *Vocis a propria significatione in alienam ob similitudinem translatio*, v.gr. *Ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio.* (Cic. I. de Orat. cap. 6). voces illae *efflorescat, & redundet* prima a pratis, atque arboribus, altera ab aquarum, & opum vi ad orationem translatae sunt ob similitudinem, quae intercedit inter venustatem florum ex veris copia, & orationis dignitatem ex eruditione, & rerum ornatu.

Quot sunt fontes Metaphorae? Quatuor: 1. Si res animata pro alia animata sumatur, ut: canis pro maledico; aquila pro ingenioso; testudo pro tardo homine. Sic *vicit Leo de tribu Judà*, hoc est Christus Jesus. (*Apocal. 5*).

2. Si res inanimata pro alia inanimata, ut: lacrymarum imber pro abundantia, generis splendor pro nobilitate sic: aureum Coeli lumen: calamitatum procella.

3. Si animata pro inanimata, ut: risus pratorum pro floriditate; caput annis pro principio; sic: mutum forum, curia elinguis.

4. Si inanimata pro animata, ut: flumen eloquentiae, pro viro eloquenti; fulmen belli, pro viro forti. Sic: cor ferreum pro inexorabili.

5. Assignant alii quinque sensus, ut: odor virtutis; lumen reipublicae; dulcedo sermonis; sonus orationis; verborum asperitas.

6. Alii artes, videlicet: fraenare cupiditates; disciplinarum fructus; languenti patriae mederi; vario cogitationum aestu fluctuare, &c. Ast omnes ad quatuor priores revocantur.

Quot sunt causae Metaphorae? Tres: 1. Necessitas, quando proprium verbum deest, ut; vites gemmant; segetes sitiunt; prata bibunt.

2. Major expressio, seu vis significandi, v.c: *Homo incensus ira, lapsus errore*, significantius dicitur, quam *iratus, errans*.

3. Delectatio, aut orationis splendor, ut: generis claritas, infortuniorum procellae.

Quot sunt vitanda in metaphora? Tria praecipue. 1. Rerum dissimilitudo, ut illud Ennii: *Caeli ingentes fornices*: debet enim esse proportio rei ad rem, qualis non est inter Coelum, & fornix; cum illud sit sphaericum; non ita fornix. Sic pessime: Mons caloris me urit.

2. Turpitudinis verborum: male enim quis diceret: stercus familiae; reipublicae vomica, vel sanies.

3. Diminutio significationis, ut si quis diceret: solem mundi candelam, aut lucis diurnae pistorem. Immo dicito: sol aurea Coeli lampas, lucis diurnae parens.

Adnotatio. 1. Metaphora in diffinitione *Translatio* per antonomasiam vocatur, quia Tropus est inter omnes excellentissimus.

2. Similitudo, & translatio differunt; illa etenim aliquid comparat, ut: Homo est sicut flos agri; haec autem absolute asserit: Homo est flos, sal, sol, lumen, flumen.

##### SYNECDOCHE.

Quid est Synecdoche? Synecdoche graece, latine intellectio, est: *Tropus, quo totum pro parte, vel pars pro toto sumitur, ac intelligitur.*

Quot sunt species Synecdoches? Octo. 1. Cum sumitur genus pro specie, hoc est, totum universale pro parte illi subjecta, ut: ales pro aquila; quadrupes, pro equo; creatura pro homine, v.gr. *Praedicate Evangelium omni creaturae, id est homini.* (*Marc. 16*).

*Saucius ast quadrupes nota intra tecta refugit.* (*Virg. 6. Aenei.*)

2. Species pro genere, hoc est pars subjecta generi pro ipso genere, velut toto universali, ut: Notus, vel auster pro quovis vento.

*Tendant vela noti: fugimus spumantibus undis.* (Virg. 3. Aenei.)

3. Cum totum essentialie sumitur pro sola materia, sive sola forma, v.gr. *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum;* (Joann. 20) hoc est, Domini mei Jesu corpus.

4. Pars formalis, aut materialis pro toto essentiali, ut anima pro homine: *Vos meae carissimae animae, saepissime ad me scribite:* (Cic., Epist., 14). Sic pars materialis: Argentum, aurum pro pecunia argentea, aurea; ferrum pro gladio, &c.

5. Cum totum integrale sumitur pro parte, ut: *Fontemque, ignemque ferebant.*

Et: *Aut Ararim Parthus bibit, aut Germania Tigrim.* Hoc est partem aquae Araris. (Virg. Ec. 1).

6. Pars integralis pro toto, ut: tectum, pro domo; mucro, pro gladio; puppis, vel carina, pro navi; caput, pro homine; Dux, pro exercitu; v. gr.

*Nunc tantum sinus, & statio malefida carinis;* hoc est navibus.

7. Quae ad quintam reduci potest, cum pluralis, qui est totum integrale, ponitur pro singulari, velut pro ejus parte integrali; v. gr.

*Et nos aliquod nomenque, decusque gessimus.*

Pro ego gessi. (Virg. 2. Aenei.). Sic Cicero in Pisonem: *O stultos Camillos, Curios, &c.* Frequentia sunt apud Poetas: ora, colla, pectora, corda, pro ore, collo, &c.

8. Quae ad sextam potest revocari, cum singularis, qui est pars integralis, sumitur pro plurali, veluti pro ejus toto integrali, ut:

*Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia;*

(Virg. 2. Aenei.) nimirum: hostes habent muros, &c. Sic. Psalm. 77. *Missit in eos... ranam, & disperdidit eos;* hoc est, ranas.

Numerus quoque determinatus, pro indeterminato, ut: millies, pro saepe; mille, pro multis; v.gr.

*Mille trahit varios adverso sole colores;* (Virg. 5. Aenei.)

mille, id est, multos colores.

#### METONYMIA.

Quid est Metonymia? *Tropus, quo res aliqua pro alia quasi conjuncta, & vicina ponitur.*

Quot sunt species Metonymiae? Octo. 1. Qua ponitur causa pro effectui; ut: Ceres pro pane; Bacchus, pro vino; Minerva, pro ingenio; Mars, pro bello; sic.

*Aere ciere viros, Martemque accendere cantu;* (Virg. 6. Aenei.) Martem, id est, bellum.

2. Qua ponitur Auctor, pro scriptis ejus, ut lego Platonem, pro Platonis opera.

3. Effectus pro causa, ut: scelus, pro scelerato; Patriae perniciis, pro cive Patriae pernicioso. Terentius: *Ubi est scelus, qui me perdidit?* hoc est, homo sceleratus. *In sudore vultus tui comedes panem;* (Gen. 3.) hoc est, in labore sudorem elicente.

4. Continens, pro contento, ut: Roma diu floruit, pro Romanis. Testis est Italia, pro Italis in ea contentis. (Cic. pro lege Man.) Sic: *Armis Italia vinci non poterat, nec Graecia disciplinis.* Cic.

5. Contentum, pro continente, ut: vina coronant, pro crateras. *Jam proximus ardet Ucalegon;* (Virg. Aenei. 2) hoc est, domus Vcalegontis.

6. Possessor pro re possessa, ut: apud Pompeium coenavi; hoc est, in aedibus Pompeii. Cujus ego villam contemplan: non enim longe abest a me; hoc est a villa mea. (Cic. de Senec.)

7. Signum pro re significata, ut: palma, pro victoria; toga, pro pace; sagum, pro bello. Cicero: *Cedant arma togae; concedat laurea linguae;* hoc est, cedat bellum paci; cedat triumphus eloquentiae.

Huc pertinet positio antecedentis pro consequenti, vel contra, quando alterum est quasi alterius signum. Antecedentis, v.gr. Redditio pecorum in stabula, pro vespere, vel nocte:

*Majoresque cadunt altis de montibus umbrae;* (Virg. Ec. 1) hoc est, jam advesperascit.

Consequentis pro antecedenti, ut: funus, pro morte. Cicero: *Cum legati propuli Romani redempti sint.* (Cic. pro leg. Man.) Ex quo intelligitur captos fuisse; sic: fuimus Troes; id est, non sumus.

8. Qua ponitur adjunctum pro subjecto, vel contra, v.gr. *Stratoque super discumbitur ostro;* (Virg. Aenei. 1) hoc est, super stragulis purpureo ostri colore tinctis.

Idem est cum virtutes, vel vitia ponuntur pro iis, quibus insunt; v.gr. *Ex hac parte pugnant pudor, illinc petulantia*, pro pudici pugnant, &c. *Et querula est calamitas, & superba felicitas*, (*Quin. Curt. lib. 5*) pro calamitosi, &c.

#### ANTONOMASIA.

Quid est Antonomasia? Latine Pronominatio, est: *Tropus, quo nomen pro nomine per quamdam excellentiam ponitur*:

Quot sunt species Antonomasiae? Quatuor. 1. Qua nomen appellativum pro proprio sumitur, ut: Apostolus, pro Divo Paulo; Philosophus, pro Aristotele; Scholarum Angelus, pro S. Thoma Aquinate; Urbs, pro Roma; Orator apud Graecos, pro Demosthene; pro Cicerone apud Latinos; Poeta, pro Homero, aut Virgilio.

2. Qua proprium pro appellativo ponitur, ut: Cato, pro sapiente; Nero, pro crudeli; Irus, pro paupere; Croesus, pro divite: *Irus erit subito, qui modo Croesus erat.* (*Ovid., Trist. 3. El. 7*)

3. Qua patronimicum aut gentile pro proprio sumitur, ut: Saturnia, pro Junone; Daedalides, pro Icaro; Arpinas, pro Cicerone.

4. Qua proprium nomen pro nomine proprio sumitur, ut: Medicorum Tullius, pro Cornelio Celso.

Adnotatio 1. Haec locutio: *Rosa regina florum*; Tullius Romanae parens eloquentiae, non est Antonomasia, quae ponit nomen loco alterius, non ad alterum; erit tamen si dicas: Regina florum, pro rosa; Romanae parens eloquentiae, pro Tullio.

2. Epitheton ad Tropos pertinet, si vertit aliquid, v.gr. ad metaphoram: cupiditas effraenata; nasus aquilinus; ingenium acutum.

#### ONOMATOPOEIA, CATACHRESIS, METALEPSIS.

Quid est Onomatopoeia? *Tropus, quo vox fingitur, rei explicandae simillima*, ut: hinnitus equorum; rugitus Leonum; balatus ovium; vagitus infantium; Serpentum sibilus; mugitus boum; sic:

*Cucurire solet gallus; gallina gracillat.*

Et: *Horrida per campos bam, bin bombardata sonabat:*

*At tuba terribili sonitu taratantara dixit.*

Tropus hic Graecis frequentior; Latinis rarior.

Quid est Catachresis? Latine abusio, est: *Tropus, quo nomen non habentibus, proximum, & simile accomodatur*. Sic pictura hominis, homo dicitur; statua gigantis, gigas; equus artefactus, ab equo vero denominatur.

*Instar montis equum divina Palladis arte*

*Aedificant.* (*Virg. Aenei. 2*)

Sic infima montium extremitas, pes; parricida non solum occisor patris, sed & matris, fratris, & sororis appellatur.

Quid est Metalepsis? Latine Transumptio, est: *Tropus, quo ex uno in aliud gradatim proceditur*; v.gr.

*Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* (*Virg. Ec. 1*). Ex aristis spicas, ex spicis segetes, ex segetibus aestates, ex aestatibus annos intellige.

Adnotatio 1. Differt Catachresis a Metaphora, quia haec rei habenti nomen proprium accommodat alienum; Catachresis vero rei non habenti.

Metalepsis differt a figura gradationis per hoc, quod metalepsis est quaedam tacita, & mentalis gradatio; figura vero est expressa.

#### CAP. VI. DE TROPIS ORATIONIS.

Quid est Tropus Orationis, aut Sententiarum? *Plurium verborum conjunctorum translatio*.

Quot sunt Tropi Orationis? Tres: Allegoria, Periphrasis, Hyperbole.

#### ALLEGORIA.

Quid est Allegoria? *Continuata translatio, quae aliud verbis, aliud sensu intelligit*.

Differt Allegoria ab aliis Tropis? Differt magnitudine, non natura, v.gr.

Seditionis faces; eloquentiae catenulae; animus effraenis, metaphora sunt, quae productae ad sententiam, fient Allegoriae, si dixeris: Jam incensas ad Reipublicae incendium seditionis faces ab ipsis perduellium manibus ereptas extinguite. Vincitos aureis eloquentiae catenulis animos, in suavissimam rapite captivitatē. Effraenem adolescentis animum disciplinae severioris habenis coercete.

Sic Ceres, pro pane; Liber, pro vino; Venus, pro Luxuria, Metonymiae sunt; si tamen producantur in sententiam sunt Allegoria, veluti:

*Sine Cerere, & Libero friget Venus: (Terent. Eunuch. Act. 4. Sc. 5).* Pari modo continuatio Synecdoches erit Allegoria; v.g. *non necesse est omnes commemorare Curtios, Marios, denique Mamercos, &c. (Cic. pro S. Rosc. Am.)* Sic de aliis dissere.

Adnotatio 1. Allegoria, si solis verbis translatis constat, dicitur pura; si propria admisceantur, mixta, ideoque pulchrior.

2. In Allegoria maxime servandum, ut semper inhaereat assumptae translationi, ne cum coeperit a tempestate, incendio finiat, quae est inconsequentia rerum faedissima. (*Quint. lib. 8. cap. 6*). Ex hoc Tropo, velut a fonte, duo rivuli promanant, Aenigma, & Ironia.

#### AENIGMA.

Quid est Aenigma? *Sermo perobscurus, sive sententia verbis obscuris tecta; v.gr.*

*Patrem progenies occidit matris in alvo.*

Hoc est D. Thomas Cantuariensis, qui Pater animarum, occisus fuit a progenie humana, in alvo matris, id est, Ecclesiae.

Sic de hoc nomine, muscatum.

*Sume caput, currit; ventrem conjunge, volabit:*

*Adde pedes, comedes; sed sine ventre, bibes.*

Sic ad denotandum cor.

*Dimidium sphaerae, sphaeram cum principe Romae*

*Postulat a nobis Divinus conditor orbis.*

*Ter tria sunt septem; bis sex tantummodo sex sunt.*

*Sunt ter quinque decem; sunt semel octo novem.*

Adnotatio: Omnis obscurior Allegoria ex verbis translatis est Aenigma; non tamen omne Aenigma est Allegoria, si tantum verbis propriis constet; v.gr.

*Tres lepores capiunt duo patres, & duo nati.*

*Accipit, & leporem quilibet inde sibi.*

Hoc est: avus, Pater, & Filius.

Quid est Ironia? Latine dissimulatio, seu irrisio, est: *Quae contrarium iis in sensu continet, quae verbis indicat*, ut si de lupo dicas: O Praeclarum custodem ovium, hoc est, ovium destructorem.

Quod modis cognoscitur Ironia? Tribus: 1. Pronuntiatione, quae sit amarulenta, & illusoria, ut: Egregiam profecto laudem reportasti, pro, nullam, &c.

2. Persona, ut si de ignavo, vel ex corde dicatur: O Hercules! De Pigmaeo: O Atlas!

3. Rei natura, ut si de saxeo strato, dicas: Quam molle est hic cubare.

Adnotatio 1. Ironia, si fiat uno verbo, refertur ad Metaphoram, ut Aesopus est Narcissus.

2. Ironiam esse speciem Allegoriae: adeoque per eam plures Tropos non constitui, quam decem.

Differt a mendacio, quia hoc veritatem occultat; Ironia non ita: immo tribus superioribus modis manifestat.

#### PERIPHRAISIS.

Quid est Periphrasis? *Tropus pluribus verbis explicans, id, quod uno, vel paucioribus absolvi posset*, ut: volucrum regina pro aquila; Divum Pater, atque hominum Rex pro Jove: & illud Virgilii:



*Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris incipit. Hoc est nox.*

Antonomasiam ferme, pluresque alios tropos, ac translationes complectitur: quibus si careat, non tropis adscribenda est, sed figuris. Modus tamen adhibendus ne migret in Perissologiam, quae est superflua locutio.

#### HYPERBOLE.

Quid est Hyperbole? Tropus, qui augendo, vel minuendo fidem superat: augendo, v.g. clarior sole; candidior nive; lepore timidior; melle dulcior.

*Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent.*

Minuendo, ex causa: *Pigmaeo minor; pluma levior; Vix ossibus haeret; pro valde macilentus.*

Adnotatio: Hyperbole differt a mendacio, quia nec fallere intendit, nec mentiri; Sed ad rei magnitudinem explicandam summum dicit, ut aequum intelligatur. Hinc Seneca lib. 7. De benef. Cap. 23. *Incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.*

#### CAP. VII. DE FIGURIS.

Quid est Figura? Graece schema, est: *Ornatio dicendi forma a communi usu remota.*

In quo differt figura a tropo? In eo quod tropus solum stat in mutatione, seu translatione verborum; figura vero & propriis verbis fieri potest, & translatis.

Quot sunt figurarum genera? Duo: verborum alterum, alterum sententiarum: ex utrisque communiore afferemus.

Quid est figura verborum? *Quae in apta dictionum collocatione consistit:* qua collocatione fublata, tollitur, aut mutatur figura, v.gr. & veni, & vidi, & vici, est figura conjunctionis: tolle dictiones connectentes, ut: veni, vidi, vici, & erit dissolutio.

Quid est figura sententiarum? *Quae Orationem aliquo animi motu exornat.*

Quot modis fiunt verborum figurae? Tribus: Adjectione, Detractione, & similitudine.

#### CAP. VIII. DE FIGURIS VERBORUM, QUAE FIUNT PER ADJECTIONEM.

##### REPETITIO.

Quid est Repetitio? Graece Epanaphora, est: *resumptio ejusdem vocabuli in principio membrorum orationis, aut incisorum; v.gr. Quid haec festinatio? Quid haec immanitas tanta significat? (Cic. pro Quint.)*

*Me mare, me venti, me fera jactat hiems.*

*Longa dies homini docuit parere Leones:*

*Longa dies molli saxa preedit aqua. (Tibul. lib. 1 & 4).*

##### CONVERSIO.

Quid est Conversio? Graece Antistrophe, est: *Iteratio ejusdem verbi in fine Orationis; v.gr. Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? Hos eripuit vobis Antonius. (Cic. Philip. 2). Sic: Poenos Populus Romanus vicit, victoria vicit, armis vicit, liberalitate vicit.*

##### COMPLEXIO.

Quid est Complexio? Graece Symploce, est: *Figura repetitionem simul, & conversionem complectens; v.gr. Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decem viros creavit? Rullus. (Cic. pro leg. Ag.)*

Et: *Si insurgunt venti tentationum:: respice stellam, voca Mariam :: si jactaris superbiae undis:: respice stellam, voca Mariam, &c. (D. Bern. Homil. 2 super missus est.)*

##### CONDUPLICATIONIO.

Quid est ConduPLICATIONIO? Graece Anadiplosis, est: *Ejusdem verbi geminatio, 1. Vel proxime, ut: Hic tamen vivit; vivit; immo in Senatum venit.*



*O Corydon, Corydon, quae te dementia cepit? (Vir. Ec. 2)*

2. Vel paucis interjectis, ut: *Tuas, Cnei Pompeii (te enim appello) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus.*

3. Vel in principio, & fine membri, aut integrae periodi, ut: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

*Primus ad ima ruit, magna de luce superbus:*

*Sic homo quum tumuit, primus ad ima ruit.*

*Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam: gladium uagina uacuum in urbe non vidimus. (Cic. pro M. Marcello)*

4. Vel in fine sententiae, & subsequentis initio: *Urbs etrusca solo sequitur pulcherrimus astur, Astur equo fidens, & versicoloribus armis.*

#### TRADUCTIO

Quid est Traductio? Graece Polypoton, est: *Repetitio ejusdem dictionis cum aliqua immutatione casus, numeri, generis, modi, vel temporis, ut: pleni sunt omnes libri: plenae sapientum voces: plena exemplorum vetustas. (Cic. pro Arch.) Ovid.*

*Et digitos digitis, & frontem fronte premebat.*

*Sic: Figulus figulum odit. Homo homini Deus; homo homini lupus.*

#### CONJUNCTIO.

Quid est Conjunctio? Graece Polysyndeton, est: *Frequens conjunctionum iteratio, ut: Quot in Catullo, & in patre, & in filio::videmus. (Cic. Offic. 1)*

*Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis. (Ovid. Fas. 2)*

#### CAP. IX. DE FIGURIS VERBORUM, QUAE FIUNT PER DETRACTIONEM.

#### DISSOLUTIO.

Quid est dissolutio? Graece Asyndeton, est: *Soluta conjunctionibus oratio; v.gr. veni, vidi, vici, Sic: Haec studia litterarum adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: adversis::solatium praebent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiscum: peregrinantur: rusticantur. (Cic. pro Arch. Poet.) Vir. Aen. 4:*

*Ferte citi ferrum: date vela: impellite remos.*

#### ADJUNCTIO.

Quid est Adjunctio? Graece Zeuma, est: *Figura ad idem verbum plura incisa referens, ut: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

#### DISJUNCTIO.

Quid est Disjunctio? Graece Hypozeuxis, est: *Plurium sententiarum suo, seu certo verbo conclusio, ut:*

*Poma dat autumnus: formosa est messibus aestas:*

*Ver praebet flores; igne levatur hiems.*

Ponitur hic ut praecedenti contraria.

#### INTELLECTIO.

Quid est Intellectio? Graece Synecdoche, est: *Ommisio alicujus dictionis facile intellectae, ut: Abs te tandiu nihil litteratum. Hoc est accepi: (Cic. Att. 1.2. Ep. 2)*

Differt a tropo: quia tropus Synecdoche ponit aliud, & aliud intelligit; figura vero tantum aliud intelligit; non ponit.

CAP. X. DE FIGURIS VERBORUM, QUAE FIUNT PER SIMILITUDINEM.

ANNOMINATIO.

Quid est Annominatio? Graece Paranomasia, est: *Collocatio similium verborum in oratione, litteris paululum immutatis*, ut Fama, & fame laborans: Ex Oratore factus est arator.

Quot modis fit annominatio, seu Paranomasia? Quatuor 1. Adjectione litterae, vel syllabae, ut: hic homo mero, non Homero dat operam.

2. Detractione litterae, vel sillabae, ut: Amicus noscitur amore-more-ore-re.

Possunt detrahi litterae in principio, ut Jesus-esus; magnus-agnus. In medio, ut: Decus-Deus: In fine, ut Rosa-ros.

3. Commutatione litterae, vel syllabae, ut Tumidus, idem ac timidus: qui pavet-cavet. Delige quem diligas.

4. Translatione litterae, vel sillabae, ut fit in anagrammate; v.g. Saul-laui; corpus-porcus; Ursula-laurus. *Ipsa sibi victrix Ursula laurus erit.*

ANTANACLASIS.

Quid est Antanaclasis? Species Paranomasiae, est: *Repetitio dictionis ejusdem adpellationis, diversae tamen significacionis*; v.gr. Veniam ad vos, si Senatus det mihi veniam. Diva Barbara non fuit barbara. Et:

*Mala meis malis mandere nolo mala.*

SIMILITER CADENS.

Quid est Similiter cadens? Graece Homoeoptoton, est: *Figura, qua plura nomina iisdem casibus, & numeris, vel plura verba iisdem modis, temporibus, ac personis conveniunt*; v.gr. In rebus adversis, cui praesto est consilium, non potest deesse auxilium.

*Cic. In Catilinam. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit.*

SIMILITER DESINENS.

Quid est Similiter desinens? Graece Homoeoteleuton, est: *Figura, qua plures sententiae, seu orationis membra simili terminatione, & saepe quasi rhythmo finiuntur*. v.g. Cicero pro lege Manilia: *Tam felix imperator est, ut ei non modo cives assenserint, socii obtemperaverint, hostes obediuerint; sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint. Sic:*

*Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.*

Hanc figuram ponunt alii, in quibusvis orationis partibus; similiter cadentem in solis nominibus, & verbis: alii, ut Scaligerus, utramque solo nomine tenus distinguunt.

COMPAR.

Quid est Compar? Graece Isocolon, est: *Oratio ex membris pari fere numero syllabarum constantibus*: v.g. *Pompeius plura bella gessit, quam caeteri legerunt; plures Provincias confecit, quam alii concupierunt.* (*Cic. pro leg. Man.*)

CONTRAPOSITUM.

Quid est Contrapositum? Graece Antithesis, vel Antitheton, est: *Oppositorum contentio*, quando in oratione ponuntur verba verbis, vel sententiae sententiis oppositae contrarie, privative, aut relative, &c. v.g. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* (*Cic. pro Cluent.*)

Sic Ovid. *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.*

Sic Virg. *Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi.*

*Capras, rus, hostes, fronde, ligone manu.*

Si sententiae sententiis opponuntur pertinet ad figuras sententiarum.

**COMMUTATIO.**

Quid est Commutatio? Graece Paradiastole, est: *Figura, qua duae sententiae inter se discrepantes ita efferuntur, ut a priori posterior proficiscatur*, v. g. Cicero: *Non ut edam vivo; sed ut vivam edo*. Et Seneca: *Non quia difficilia sunt non audemus; sed quia non audemus difficilia sunt*.

Dices: hae duae figurae non videntur huc pertinere, ubi de figuris per similitudinem, non de iis, quae per contrarium fiunt, agitur. Respondeo: contrariorum, & dissimilium eadem est ratio, ac doctrina.

**CAP. XI. DE FIGURIS SENTENTIARUM**

Quid est Figura sententiarum? Est: *Figura, quae aliquo animi motu orationem exornat, & afficit*: Ipsa enim non a verbis, sed a rebus, & sensu pendet.

In quot ordines dividuntur sententiarum schemmata? In tres.

Primus figuras complectitur, quae fere in contentione valent ad confirmandum, & confutandum. Secundus, quae ad rem explicandam, & amplificandam. Tertius, quae ad effectus exprimendos, & movendos.

**PRIMUS ORDO.****INTERROGATIO.**

Quid est Interrogatio? Graece Erotema, est: *Figura, quae non ad sciscitandum, sed ad instandum, arguendum, aut alium hujusmodi finem adhibetur*, v.g. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* (Cic. 2. in Catil.) Ferventius instat, quam si diceret: *Diu jam abuteris patientia nostra*.

**SUBJECTIO.**

Quid est Subjectio? Graece Hypophora, est: *Figura, qua idem interrogat, suaeque interrogationi respondet*; v.g. *Roscio tanti fuit, ut socium fraudaret. Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur. Avarus erat? Immo etiam antequam locuples, semper liberalissimus, munificentissimusque fuit*. (Cic. pro Roscio).

**DUBITATIO.**

Quid est Dubitatio? Graece Apopesis, est: *Figura, qua velut in ancipiti pendentes quaerimus quid dicendum, aut agendum sit*; v.g. *Quid agam Judices? Si taceam, existimabitis me reum; si loquor, mendacem me esse putabitis*.

**COMMUNICATIO.**

Quid est Communicatio? Graece Anacoenosis, est: *Figura, qua vel auditores, vel adversarios, vel Judices consulimus, quid faciendum, ut: Quid agam, Judices? Quo accusationis meae rationem conferam? Quo me vertam?*

**CONCESSIO.**

Quid est Concessio? Graece Synchoresis, est: *Figura, quae minus veluti donat, ut gravius urgeat*; v. gr. *Tribuo Graecis litteras, do multarum artium disciplinam: testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit*. (Cic. pro Flacco.)

**CORRECTIO.**

Quid est Correctio? *Figura, quae verbum, aut sententiam corrigit, ut acrius contendat, ut: Non enim furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae in vestrum iudicium adduximus*. (Cic. 3. In Verrem).

**LICENTIA.**

Quid est Licentia? *Major quaedam, non sine causa, & modo loquendi libertas, ut: Itaque illam tuam praeclarissimam, & sapientissimam vocem invitatus audivi: satis te diu, vel naturae*

vixisse, vel gloriae; satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, Patriae certe parum. (Cic. pro M. Marcell.)

### PRAEOCCUPATIO.

Quid est Praeoccupatio? *Figura, qua praevenimus, ac diluimus, quod nobis objici potest.* Partes ejus sunt duae, Hypophora, quae objectionem proponit; & Antipophora, quae objectioni respondet; v.gr. *Ergo inquiet aliquis, donavit populo Syracusano illam hereditatem* (en Hypophora) *Primum si id confiteri velim, tamen istum condemnetis, necesse est: neque enim permisum est, ut impune nobis liceat quod alicui eripuerimus, id alteri tradere.* (En Antipophora) (Cic. 3. In Verrem.)

### SECUNDUS ORDO.

#### DESCRIPTIO.

Quid est Descriptio? Graecae Hypotyposis, est: *Expositio rei naturam, ac indolem perspicue subjiciens oculis*, v.gr. *Descriptio fluminis Araris: Flumen est Arar, quod in Rhodanum influit incredibili lenitate, ut oculis in utram partem fluat judicari non possit.* (Caes. Bel. Gal. lib. 1. cap. 12) Hypotyposis ab aliis vocatur Evidentia, Demonstratio, seu Imago.

Quot sunt species descriptionis? Quatuor praecipue.

1. Pragmatographia, quae est: *Alicujus rei, vel facti descriptio*, v.gr. Daretis, & Entelli pugna descripta a Virg. Aen. 5.

*Constitit in digitos extemplo arrectus uterque:*

*Brachiaque ad superas interritus extulit auras:*

*Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,*

*Immiscensque manus manibus, pugnamque lacessunt.*

2. Prosopographia, id est: *Verae, vel fictae personae descriptio ab exteriori corporis specie*; v.gr. *Descriptio Pisonis a Cic. pro Sextio: Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio Respublica, tanquam Atlante Coelum niti videretur.*

3. Topographia, quae est: *Veri loci descriptio*, sicuti quae fictum locum describit, dicitur Topothesia; v.gr. *Descriptio Latumiarum, sive carceris Syracusani a Cicerone in Verrem ultimo c. 27. Latumias Syracusanas omnes audistis: opus est ingens, magnificumque Regum, ac Tyrannorum. Totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, &c.*

4. Chronographia, id est: *Temporum descriptio*. v.gr. *Aurorae a Virg. 7. Aen.*

*Jamque rubescebat radiis mare; & aethere ab alto*

*Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.*

Alias descriptio sortitur denominationes rerum, v.gr. *Cosmographia, descriptio mundi; Geographia, descriptio terrae, &c.*

#### ETHOPOEIA.

Quid est Ethopoeia? *Morum, & vitae descriptio*, v.gr. *Darii ethopoeia de Alexandri M. clementia in captivam suam uxorem: Dii patrii, primum mihi stabilite regnum: deinde, si de me jam transactum est, precor, nequis Asiae Rex sit, quam iste, tam justus hostis, tam misericors victor.* (Curt. 4).

Ethopoeia differt a Prosopographia: quia Ethopoeia in exprimendis moribus, & animi motibus versatur; Prosopographia vero potius corpus delineat, quam mentem.

#### GRADATIO.

Quid est Gradatio? Graece Climax, est: *Figura, quasi per gradus procedens ab uno ad aliud*; v.gr. *Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit. Et illud:*

*Quid levius fumo? Flumen. Quid flumine? Ventus.*

*Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.*

Ad hanc figuram revocatur Incrementum, Graece Auxesis, quo Oratio crescit ab infimo ad summum, licet nil repetat antecedens, v.g. *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* (Cic. in Verrem. 9).

**INTERPRETATIO.**

Quid est Interpretatio? Graece Synonymia, est: *Verborum, vel sententiarum rem eandem inculcantium multiplicatio*, v.g. *Abiit, excessit, erupit, evasit.* (Cic. 2. in Catil.) Sive cum aliquid dictum explanat, ejus sensum evolvendo, & tunc vocatur Hermenia.

**CONGERIES.**

Quid est congeries? *Plurium rerum collectio, quae quasi uno Orationis impetu convolvuntur*, v.g. *Tu Publii Clodii cruentum cadaver ejecisti domo: tu in publicum ejecisti: tu spoliatum imaginibus, exequis, pompa, laudatione, infaelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Gravem reddit Orationem, & maxime juvat praesertim in epilogis.

**PRAETERITIO.**

Quid est Praeteritio, aut praetermissio? Graece Paralepsis, est *Simulata reticentia, qua fingimus, nos omittere velle, quae tunc maxime dicimus.* v.g. *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas impendere tibi proximis idibus senties.* (Cic. In Catil.)

**RETICENTIA.**

Sive silentium, graece Aposiopesis, affinis est Praetermissioni, & definitur: *Inchoati sermonis interceptio, seu interruptio*, v. gr. Virg. 1. Aen.

*Quos ego: (hoc est, puniam) sed motos praestat componere fluctus.*

Sic Demosthenes contra Charidemum: *cujus mater, quae, aut unde sit non dicam; nec enim necesse habeo plura inquirere, quam res cogit.*

**IMPOSSIBILE.**

Quid est Impossibile? Graece Adynaton, est: *Comparatio eorum, quae fieri non possunt cum iis, quae fieri non posse, vel non debere censemus*, v.g. *Prius undae, & flammae in gratiam redeant, quam cum Antonio Respublica*

**PARADOXUM.**

Quid est Paradoxum? *Dictum mirabile praeter omnium opinionem*, v.g. *Plures occidit gula, quam gladius.*

**EMPHASIS.**

Quid est Emphasis? *Figura plus significans, quam dicit*, v.g. *Medea apud Senecam: Haec Jason facere potuit? Medea fugiam? & Joan 13: Tu mihi lavas pedes?*

**ACCLAMATIO.**

Quid est Acclamatio? Graece Epiphonema, est: *Ingeniosa, & gravis rei narratae subjecta sententia*, v.g. Cicero, ubi multis laudavit, mitem in ipsa victoria Caesaris animum, & clementiam erga Marcum Marcellum, ita concludit: *Recte igitur unus inventus es, quo etiam ipsius victoriae conditio, visque devicta est.* Et Virg. Aen. 1. enarratis Trojanorum aerumnis, subjicit: *Tantae molis erat Romanam condere gentem.*

**DISTRIBUTIO.**

Quid est distributio? *Figura, qua singulis rebus sua proprietates, aut negotium tribuitur.* v.g.

*Poma dat autumnus: formosa est messibus aestas:*

*Ver praebet flores: igne levatur hiems.*

Sic Tullius pro Milone: *Lugēt senatus, maeret equester ordo: tota civitas confecta senio est, &c.*

**EXPOLITIO.**

Quid est Expolitio? *Figura, qua verbis commutatis eadem sententia variatur, & explicatur*, v.g. Cic. in Catil. 1. *Patere tua consilia non audis? Constrictam jam bonorum omnium cons-*

*cientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?*

#### TERTIUS ORDO.

##### APOSTROPHE.

Quid est Apostrophe? *Conversio sermonis ad aliquem.* Efficax quidem figura, & affectibus aptissima si ex argumenti magnitudine oriatur. Hac Deum, homines, mortuos etiam, & ratione, sensuque carentia compellamus. Cicero pro Marco Coelio sermonem ad Deos vertit: *Pro Dii immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut connivetis, aut praesentis fraudis poenas in dies reservatis?* Ad homines vertit idem pro Milone: *Vos, vos apello, fortissimum viri, qui multum pro patria sanguinem effudistis.*

##### EXCLAMATIO.

Quid est Exclamatio? *Vehementioris affectus expressio.* Aliquando cum interjectionibus affectus exprimit, ut: Cicero in Pisonem: *O scelus! O pestis!* Aliquando sine interjectionibus. Virg. Eccl. 1.

*En quo discordia cives  
Perdixit miseros! En quis consevimus agros!*

##### DEPRECATIO.

Quid est Deprecatio? *Supplex postulatio, qua alienam opem imploramus.* Cicero pro Ligario ad Caesarem: *Ad iudicem sic agi solet; sed ego ad parentem loquor: Erravi, temere feci, paenitet, ad clementiam confugio: ut ignoscas, oro.*

##### OMINATIO.

Quid est Ominatio? *Figura, qua ventura, quasi vaticinando praedicimus.* Cicero pro Marco Marcel. ad Caesarem: *Obstupecent posteri certe, imperia, Provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos.*

##### COMMUNICATIO.

Quid est Communis? *Figura, quae grave incommodum intentat, ut ab incepto deterreat,* ut Legati Helvetiorum apud Caesarem Bell. Gallico, lib. 1. cap. 13. Ne committeret, ut is locus, ubi constitissent ex calamitate populi Romani, & internectione exercitus nomen caperet, aut memoriam proderet.

##### PROSOPOPOEIA.

Quid est Prosopopoeia? *Personarum ficta inductio, qua vita, vel ratione carentibus, sensus, affectus, & sermo datur.* Cicero in Verrem: *Sicilia tota, si una voce loqueretur, haec diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris - - habui, id mihi tu, Verres, eripuisti, atque abstulisti.*

##### TRANSITIO.

Quid est Transitus? *Brevis Oratio, quae dictis dicenda connectit.* Potius est figurarum usus ad Orationis partes connectendas, quam figura.

Quot sunt species transitionis? Duae: altera perfecta, imperfecta altera.

Perfecta duplici parte constat, quarum prima superius dicta complectitur; secunda dicenda breviter attingit, v.g. Cic. pro lege Manilia: *Quoniam de genere belli dixi, de magnitudine pauca dicam.*

Imperfecta est, quae unica parte constat, nam vel dicta tantum recolligit, ut: Cicero pro Deiotaro: *En crimen: en causa cur Regem fugitivus, Dominum servus accusat.* Vel tantum dicenda proponit, ut Tullius pro Roscio Amerino: *Age nunc, illa videamus, Iudices, quae consecuta sunt.*

Transitionum formulae esse solent: Jam vero erigite animos auditores: age vero: perge modo: jam illud ad se vocat Orationem meam. Venio nunc ad alteram partem. Redeo unde diverteram. Reliquum est, ut videamus. Revocate, quaeso, in memoriam. Rem aliquanto altius repetamus. At enim. At vero. Praeterea. Huc accidit. Adde his, &c. Lege Tullium, Paulinum, &c. Muretum in suis Orationibus.

Unum denique de figuris observa, modum quemdam in ipsis retinendum esse. Ut enim Oratio, quae propriis dictionibus semper refluit tanquam humilis plerumque despicitur; ita pariter quae perpetuo fucata est, non raro displicet. Mediocritate igitur, & varietate temperanda est, ut neque eadem ornamenta saepe in eandem partem conferantur; sed alia, atque alia per totam Orationem propria translatis, & figuratis admixta diffundantur. Nunc ad tertium, & quartum Orationis ornatum deveniamus.

### CAP. XII. DE SENTENTIIS, ET ADAGIIS.

Quid est Sententia? *Lumen Orationis in clausulis breviter collectum*; ut: obsequium amicos, veritas odium parit.

Quid est Adagium? *Dictum acutum vulgari omnium sermone tritum*; ut: Camarinam movere; hoc est malum sibi accersere.

### CAP. XIII. DE CONCINNITATE, ET CONGRUENTIA ORATIONIS.

Quid est Orationis Concinnitas? *Quae Orationem in justas periodos, ac decoram mensuram compingit, aut unit.*

Quid est Periodus? *Orationis continuatio, perfectam, absolutamque sententiam ambitu suo comprehendens.*

Quot sunt leges Periodi? Duae. Prima: ut omnis periodus ambitu quodam, seu circuitu gaudeat, v.gr. Marco Fabro viro optimo, & homine doctissimo familiarissime utor. Periodus est. Tolle ambitum, nempe: Viro optimo, & homine doctissimo, & erit propositio logica.

Secunda, ut omnis periodus ita procurrat, ut sensus non nisi perfecta, absolutaque sententia percipiatur, v.gr. Concordia parvae res crescunt; discordia res maximae dilabuntur. Ea quidem duo sunt membra, periodum non constituentia, quia singula separatim intelliguntur.

Haberes tamen periodum ex illis duobus eisdem membris si sensus pendens redderetur hoc modo: Quemadmodum concordia parvae res crescunt; ita discordia etiam maximae dilabuntur.

Quot sunt partes periodi? Duae: Membrum, aut Colon; & Incisum, aut Comma.

Quid est Membrum, sive Colon? *Pars major periodi integram sententiam, sed ahuc pendentem intra periodum comprehendens*, v.gr. Quemadmodum concordia parvae res crescunt: ita discordia etiam maximae dilabuntur. Hic duo sunt membra, & utrumque, ut patet, sensum denotat pendentem.

Extra tamen periodum utrumque sensum absolvit, v.gr. Concordia parvae res crescunt. Discordia res maximae dilabuntur.

Quot sunt membrorum genera? Duo. Alterum simplex sine ulla incisorum distinctione, ut: Quid faciam pro tuis in me meritis? Alterum incisum distinctum, v.gr. Multum in agro, locisque desertis audacia potest.

Quid est Incisum, aut Comma? *Pars minor periodi paucis constans verbis, imperfectam sententiam intra periodum comprehendens*, v.gr. Erectus maximi, ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. Hic quatuor sunt incisa, unicum membrum, & unica periodus.

Quot sunt Periodorum genera? Duo: Simplex, & Compositum.

Quid est Periodus Simplex? Cujus ambitus uno constat Membro.

Quid est Periodus Composita? Quae pluribus constat Membris; duabus autem partibus, quarum altera Protasis, sive antecedens; altera Apodosis, aut consequens vocatur.

Quot sunt species compositae Periodi? Tres frequentiores. Prima Bimembris, graece Dicolos: Secunda Trimembris, graece Tricolos: Tertia Quadrimestris, graece Tetracos. Hinc si Periodus nec brevior bimembris, nec quadrimestris sit longior mediocritatis laudem habebit.

Estne alia pulchrior periodus? Est, nempe rotunda, seu quadrata, quae quatuor membris constat ita dispositis, ut prima ultimis, & ultima primis sine sensus detrimento praeponi, aut postponi possint.



Quot sunt particulae periodum connectentes? Plures. 1. Causales, ut: *Quum, quia, &c.* 2. Conditionales, ut *si.* 3. Contrariae, ut *sed.* 4. Comparativae, ut: *sicuti, quemadmodum.* 5. Disjunctivae, ut *vel, aut.* 6. Concessivae, ut: *etsi, quamvis.* 7. Copulativae, ut: *&, cum* sequente *tum, non tantum,* sequente *verum etiam.* 8. Omnes formulae, quae sensus relativos habent, & participia, ut: Dubitanti mihi de hoc tuo consilio perfectionis:: magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem iudicium, & consilium tuum. Hinc juxta formulas connectentes Periodum erit causalis, conditionalis, &c.

Quid est periodice dicere? Est Orationem periodis texere.

Quid est fuse, aut solute dicere? Est incisus aut membris Orationem contexere. Talis est sermo vulgi nullis adstrictus numeris.

Quando Periodis utendum? In exordiis, in locis communibus, in amplificationibus, atque in epilogis. Incisum vero, ac membratim dicimus in dialogis, epistolis ad familiares, narrationibus, maxime si ea, quae intra breve tempus gesta sunt referre velimus.

Quot sunt Periodi proprietates? Duae: Numerus, & Dilatio.

Quid est Numerus Oratorius? *Est suavis quaedam harmonia ex idonea verborum conne-xione proveniens,* v.c. si dicas cum Gracco: Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, quin improbos probet. Latine satis dicis, sed parum numerose. Verbis tamen iisdem concinnius collocatis numerosam Cicero Periodum effinxit: Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.

Cavendum, ne Oratio in metrum abeat, aut incipiat, vel desinat in versum: imo vero omnem versus similitudinem fugiat.

Quid est Dilatio? *Est rei per plura verba explicatio.*

Qua ratione aliqua propositio periodice dilatari potest? Per adjuncta, Persona, Finis, Modus, Materia, Tempus, & Locus.

Quid est congruentia, Character, stylus, seu genus dicendi? *Dictionibus, rebus, ac personis conformatio.*

Quotplex est stylus? Si Orationis qualitas spectetur triplex: sublimis, mediocris, & tenuis. Sublimis est, *qui argumenta magnifico elocutionis genere pertractat.* Mediocris est, *qui argumenta mediocri elocutionis genere pertractat.* Tenuis est, *qui argumento humili locutionis genere pertractat.* Quoad quantitatem dividitur stylus in Laconicum, Atticum, Rhodium, & Asiaticum. Laconicus est, *quo paucis plura dicuntur.* Atticus est: *In quo multae ideae paucis, ac perspicuis verbis, & rationibus urgentibus proferuntur.* Rhodius est: *Qui mediocritate constans similitudinem quamdam inter verba, & ideas servat.* Asiaticus est: *Qui paucas ideas multis verbis exprimit.*

## APPENDIX CONCISA DE ELEGANTIIS.

### CAP. I. DE NOMINUM COLLOCATIONE.

1. Nomina substantiva adjectivis opportune sunt exornanda. Cic. pro Leg. Manil. *Dicendum de Pompeii singulari, eximiaque virtute.*

2. Venustatem addit periodo substantivum polysyllabum, si in Orationis principio, aut in ipsius fine collocetur. Cic. 3. Tuscul. *Praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum.*

3. Nomen substantivum a quo regitur genitivus, interdum eleganter supprimitur. Cic. *Venit mihi Platonis in mentem:* id est: *recordatio.*

4. Nomina dignitatis, vel officii; laudis, vel vituperationis, proprio personae nomini praepo-nuntur. Cic. lib. 12. ep. 22. *Nos hic cum gladiatore Homine omnium nequissimo collega nostro Antonio bellum gerimus.*

5. Genitivus nonnumquam praepo-nendus substantivo. Cic. Omnes ducimur ad cognitionis, & scientiae cupiditatem.

6. Inter substantivum, & adjectivum optime mediar genitivus. Cic. *Aggredere cum impo-rtuna sceleratorum manu.*

7. Inter duos genitivos alii casus frequenter aptantur. Cic. *Nam cum antea per aetatem nondum hujus acutoritatem loci contingere auderem.*



8. Nomen rei, loco nominis Personae eleganter collocatur. Cic. *Nihil magis cavendum est senectuti, quam ne languori se dedat*, id est: *Senibus*.

9. Inter duos accusativos quaevis Orationis pars apte adnectitur. Cic. *Hunc tu Hominem appellas?*

10. Vocativi casus in soluta Oratione post pronomen, aut verbum collocandi. Post pronomen. Cic. *Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere*. Post verbum. Idem Cic. *Precatus a Jove optimo maximo, caeterisque Diis immortalibus sum, Quirites*.

11. Ablativus absolute positus, aut ante verbum, aut initio ponendus. Cic. *Re intellecta, in verborum usu faciles esse debemus*.

12. Vox, quae nobilioris est significationis anteponenda voci minus significanti. Cic. Philip. 4. *Optima est haec consolatio Parentibus, liberis, conjugibus, Fratribus*.

13. Nomen loco verbi elegantissime ponitur. Cic. *Quantum in eo profecerimus aliorum sit iudicium*. Vulgus diceret: *judicent alii*.

14. Adjectivum dissyllabum, substantivo plurium syllabarum postponitur. Cic. *Faba habet inflationem magnam*. Secus tamen fiet, si adjectivum est polysyllabum. Cic. *Ea vis incredibiles huic urbi felicitates attulit*.

15. Nomina numerum significantia substantivis postponuntur. Cic. *Omnes omnium charitates Patria una complexa est*.

16. Nomina numeralia a viginti ad centum, minora majoribus anteponuntur, interposita conjunctione. Cic. *Horum Pater ab hinc duos, & viginti annos est mortuus*.

17. Adjectiva superlativa substantivis postponuntur. Cic. *Honoribus amplissimis*.

18. Voces omnis, nullus, alienum, aliud, alterum, utrumque, ullus, aliaque hujus generis adjectiva substantivis postponenda. Cic. *Majus mihi dare beneficium nullum potes*.

19. Post adjectiva dignus, promptus, idoneus, elegantissime ponas finitum verbum cum qui, quae, quod, vel particula ut. Cic. *Qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet, dignus esse*.

20. Si duobus substantivis idem adjectivum adhibendum sit, tunc ipsum in priori loco statuatur, & substantiva cum conjunctione, &, vel tum subsequentur. Cic. *Nihil est, quod tibi majori, tum fructui, tum gloriae esse possit*.

## CAP. II. DE PRONOMINUM COLLOCATIONE.

1. Adjectivo pronomini substantivum suum praeponitur. Cic. *Perjucundae mihi fuerunt litterae tuae*.

2. Inter substantivum, & adjectivum, pronomini adjectivo locus erit. Cic. *Egregia tua virtus*.

3. Pronomina possessiva, *meus*, &c. Demonstrativa, *hic*, substantivis praeponuntur, interpositis, *enim*, *vero*, *quidem*. Cic. *Haec quidem sententia*.

4. Pronomina Primitiva, nomini, verbo infinito, & participio postponuntur. Cic. *Tempus est, abire me, ut moriar*.

5. Pronomen *suus*, *sua*, *suum* dativum *sibi* copulat. Cic. *Sua sibi virtute*.

6. Pronomina possessiva pronominibus primitivis postponuntur. Cic. *Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei*.

7. Pronomina possessiva usurpantur loco nominum, *Amicus*, *Familiaris*, &c. Cic. *Me Romae tenuit Tulliae meae partus*.

8. Emphaseos causa adjectivis, ac substantivis additur pronomen *is* cum conjunctione *que*. Cic. *Filium habeo, eumque unicum*.

9. Pronomen *is*, *ea*, *id*, usitate dicitur pro relativo *qui*, *quae*, *quod*. Cic. *Tuas accepi epistolas, iis delectatus sum*.

10. Primitivum pronomen *ipse*, saepissime postponitur primae notae pronominibus. Cic. *Mihi ipse nunquam satisfacio*.

## CAP. III. DE VERBORUM COLLOCATIONE.

1. Verbum finitum post infinitum fere usurpatur. Cic. *Mors terribilis est eis, quorum cum vita omnia extinguntur*.

2. Quum Gerundio utimur, saepius illud initio periodi collocare solemus. Cic. *Tollendum est in rebus contrahendis omne mendacium.*

3. Verbum *sum* varie in Periodo collocatur; ita ut omnes sedes illi competere videantur. Concinne in Orationis principio. Cic. *Est profecto animi medicina Philosophia.* In medio ante substantivum, aut adjectivum. Cic. *Tardi ingenii est rivulos consecrari.* In Orationis fine, & quidem eleganter, si ponatur post nomen adjectivum, sive positivum, sive comparativum, sive superlativum. Cic. *Nullum theatrum virtuti conscientia majus est.*

4. Verbum *sum* postponitur vocabulis negativis *nemo, nullus, &c.* Cic. *Nulla est enim nobis cum Tyrannis societas.*

5. Subjunctivus modus pro indicativo ornatus cadit. Cic. *Velim, pro volo, gratum feceris, pro facies.*

6. Praesens subjunctivi accipitur pro praeterito imperfecto ejusdem modi. Cic. *Ego si velim, plura referre possem, pro vellem.*

7. Praeteritum imperfectum accipitur pro praeterito plusquamperfecto. Cic. *Mississem litteras, si genus scribendi invenirem, pro invenissem.*

8. Praeteritum perfectum accipitur pro imperfecto. Cic. *Citius dixerim. Id est, dicerem.*

9. Loco imperativi, venuste usurpamus praesens conjunctivi. Cic. *Valeas, valeatis, pro vale, valete.*

#### CAP. IV. DE PARTICIPIORUM, PRAEPOSITIONUMQUE COLLOCATIONE.

1. Participium futuri in *rus* aliquando in principio, quandoque in fine Periodi collocatur. Cic. *Existimabam, te de hac re, ne verbum quidem esse dicturum.*

2. Infinitum in participium praeteriti vertitur, si praecedat verbum *cupio, curo, volo, nolo, opus est, oportet, &c.* Cic. *Hoc, quod jam pridem factum esse oportuit, non faciam.*

3. Participia in *dus, da, dum* ponuntur loco conjunctivi cum verbo *curo, &c.* Cic. *Litteras ad te mittendas curavi.*

4. *Tenus, usque, versus* casui postponuntur. Cic. *Antiochus Tauro tenus regnare jussus est.*

5. Praepositio inter adjectivum, & substantivum mediat. Cic. *Multis de causis sit.*

6. Si dentur duo nomina substantiva, quorum unum ad patrii casum sit deductum, huic praepositio praeponitur. Cic. *Ad Palatii fores.* Delectat Oratio, si inter praepositionem, & casum, quem ipsa postulat, vox aliqua interponatur. Cic. *Ille nefarius ex omnium sceleratorum colluvione natus.*

#### CAP. V. DE ADVERBIORUM, INTERJECTIONUM, CONJUNCTIONUMQUE COLLOCATIONE.

1. Adverbium factum ex nomine nomini adjectivo postponitur. Cic. *Durum admodum mihi videtur.*

2. Adverbia comparativa, & superlativa affabre casum regunt. Cic. *Quod quidem ut minime omnium ignoras.*

3. Adverbia *certe, profecto, &c.* post aliquas dictiones collocanda. Cic. *Movet me quippe lumen curiae.*

4. Particula *ne* requirit post se an. Cic. *Unum nescio gratulern tibi, an timeam.*

5. *Equidem* tantum cum prima Persona jungendum. Cic. *Equidem doleo.*

6. Conjunctio conditionalis *si*, non in principio, sed proxime verbum ponenda. Cic. *Id ille si fecerit, spes est pacis.*

7. Particula *cum* in Orationis medio apprime congruit. Cic. *Amicorum vitia, cum noveris, ea nomini aperta facias.*

8. Eadem particula *cum*, non ineleganter subjungitur tempori loco relativi *qui, quae, quod.* Cic. *Numquam obliviscor noctis illius, cum tibi vigilanti pollicebar, id est: qua.*

9. Conjunctio *ut* causativa in Orationis medio, ac proxime verbum collocatur. Cic. *Negotium hoc, & ut conficias, totis viribus est allaborandum.*

10. Conjunctio *ut* supprimitur eleganter post verba *volo, nolo, &c.* Cic. *Malo venias, quam scribas.*

11. Particula *Ac*, vel *atque* ponitur inter vocabula polysyllaba. Cic. *Liberalitatem, ac magnanimitatem tuam, amici, atque inimici admirantur.*
12. Loco particulae *ut*, non ineleganter utitur Cicero particula *quo*. Cic. *Quod praefinisti, quo ne pluri emerem, id est: ut ne pluri emerem.*

### LIBER III. DE INVENTIONE.

#### CAP. I.

*Quid sit Argumentum, & quot loci arguendi.*

Quid est Argumentum? *Nervosa ratio causam probabilem reddens.*

Quid Oratori praefigendum, ut apta excogitet argumenta? Causae status cognitio.

Quid est Status? *Quaestio ex prima causarum conflictione orta, v.gr. Roscius Patrem occidit, quae est accusatoris intentio. Roscius Patrem non occidit, quae est defensoris depulsio. Ex utraque vero nascitur quaestio, quae status dicitur: An Roscius Patrem occiderit.*

Quot sunt status? Tres: Conjecturalis, Definitivus, & status Qualitatis.

Quid est status Conjecturalis? *Quaestio, qua quaeritur ans res sit, necne? V.gr. An Deiotarus Caesari paraverit insidias.*

Quid est status Definitivus? *Quaestio quaerens quid res sit; v.gr. Sitne Patriae Hostis Antonius.*

Quid est status Qualitatis? Est ille, *cujus est quaerere qualis res sit, vel quaestio, &c. v.g. An utilis fuerit Manlii severitas in filium.*

Quo Oratori confugiendum cognito causae statu? Ad fontes Argumentorum, seu locos Rhetoricos.

Quid sunt loci Rhetorici? Argumentorum sedes, aut thesauri.

Quot sunt locorum genera? Duo: Interni, & Externi.

Quid sunt loci Interni? *Qui inhaerent in ea re, de qua agitur, ut genus, differentia.*

Quid sunt loci Externi? *Qui extrinsecus assumuntur.*

Quot sunt loci Interni? Sexdecim: Definitio, Divisio, seu partium enumeratio, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Repugnantia, Antecedentia, Consequentia, Adjuncta, Comparatio, Causa, & Effectus.

#### CAP. II. DE LOCIS INTERNIS.

##### DEFINITIO.

Quid est Definitio? *Oratio rei naturam explicans.*

Quot sunt Definitionis species? Duae: Altera Dialectica, Oratoria altera. Prima *rem definit per genus, & differentiam; v.gr. Homo est Animal rationale. Secunda non tam definit, quam describit.*

##### DEFINITIO A PARTIBUS.

Homo est: *Qui constat corpore, & Anima rationali.*

##### DEFINITIO EX EFFECTIS.

Magnes est: *Lapis, qui ferrum attrahit.*

##### DEFINITIO EX CONGERIE.

Historia est: *Testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae.*

##### EX TRANSLATIONIBUS.

Sol est: *Diei Parens, noctis fugator, anni dimensor.*

*PARTIUM ENUMERATIO.*

Quid est Partium Enumeratio? *Rei in suas partes distributio*; Partes sunt, quae aliquod totum componunt.

Quot sunt partium species? Tres: *Essentiales*, quae totum constituunt, ut in Homine anima, & corpus. *Integrantes*, quae totum perficiunt, ut: manus, pedes &c. *Accidentales*, quae possunt adesse, vel abesse praeter subjecti corruptionem, ut: capilli, ungues, rubor, pallor.

Argumentatio ex toto ad partes ita disponitur: Toto anno bene valeo; ego bene valeo vere, aestate, &c. A partibus ad totum sic: Camillus est prudens, justus, temperatus: igitur virtute praeditus est. Locus hic valet plurimum ad amplificandum, confirmandum, & refutandum.

*NOTATIO.*

Quid est Notatio? Graece Etymologia, est: vocabuli explicatio.

Dupliciter ab Etymologia argumentum tractatur. 1. Ex ipsa nominis interpretatione, v.gr. Consul est, qui consulit patriae: ergo Piso non est Consul, qui eam evertit. 2. Ab aequivocatione, seu ambigua vocis interpretatione, ut: Verres dicitur, quia omnia verrat, & tamquam verres in volutabro coeni libenter jacet. Huc pertinent Anagrammata, ut Albertus, ter albus. Vincentius, en invictus, &c.

*CONJUGATA.*

Quid sunt Conjugata? Quae ab uno orta varie permutantur; v.gr. prudentia, prudens, prudenter. Differt a notatione, quia haec explicat vocabulum; illa vero vocabula inflectit.

*GENUS & FORMA.*

Quid est Genus? *Quod convenit pluribus specie differentibus*; sic Arbor est genus, quia convenit Cedro, Platano, &c.

Quid est Forma? *Quae plura sub se continet solo numero distincta*. Sic Homo sub se continet Petrum, Paulum, &c.

Ex his duobus locis dupliciter amplificatur oratio. Primo descendendo a genera ad speciem; Secundo ascendendo ab specie ad genus.

*SIMILITUDO.*

Quid est Similitudo? *Diversarum rerum in aliquo tertio collocatio*, v.gr. Avarus, & hydropicus sunt duae res inter se diversae; conveniunt tamen in hoc tertio, quia neuter satiari potest; unde oritur similitudo: *Avarus est sicut hydropicus*.

Quot sunt similitudinis species? Duae: perfecta, & imperfecta.

Quid est similitudo perfecta? *Quae constat duabus partibus*, quarum prima dicitur *Protasis*, cui proponuntur particulae hujusmodi: *ut, sicut, &c.* Secunda dicitur *Apodosis*, cui praeponuntur istae: *Ita, similiter, &c.*

Quid est Similitudo imperfecta? *Quae geminas partes explicatas non habet, nec utramque suis particulis distinguit*, aut alteram ex ipsis; v.gr. splendet ut aurum: vorat ut lupus.

Similitudo migrat in metaphoram, si absolute efferatur, v.gr. haec: *Adolescentia est sicut flos*, vertitur in Metaphoram si dicas: *Adolescentia flos*.

*DISSIMILITUDO.*

Quid est Dissimilitudo? *Diversarum rerum disconvenientia*; Haec similitudini opponitur; Quia similitudo convenientiam; dissimilitudo vero discrepantiam in rebus diversis spectat; v.gr. Bona animi non sunt ut aqua, quae profluit, ac labitur, sed permanent quasi aerea monumenta.

*OPPOSITA.*

Quid sunt Opposita? *Quorum alterum alteri opponitur, simulque esse non possunt*.

Quot sunt Oppositorum genera? Quatuor: Contraria, seu Adversa, Privantia, Relativa, Contradientia, seu negantia.

Quid sunt Contraria? *Quae sub eodem genere posita, maxime discrepant, & mutuo se expellunt*, ut calor, & frigus; bellum, & pax. Ex quo argumentum fit: *Bello nihil est perniciosius; ergo pace nihil est salutaris.*

#### PRIVANTIA.

Quid sunt Privantia? *Quorum alterum est habitus, sive res habita; alterum ejusdem rei privatio*, ut lux, & tenebrae. Privatio praesupponit subjectum capax formae; sic Homo visu privatus recte dicitur caecus; non ita lapis, quia est incapax videndi.

#### RELATIVA.

Quid sunt Relativa? *Quorum unum refertur ad alterum*, ut: Dominus, & servus. Posito uno relatorum ponitur alterum, ut: LEANDER EST PRAECEPTOR: ERGO HABET DISCIPULOS. Remoto uno relatorum, etiam alterum removetur, ut LEANDER NON EST DUX; ERGO MILITES NON HABET.

#### CONTRADICENTIA.

Quid sunt Contradicentia? *Quorum alterum affirmat, quod alterum negat*, ut: Paulus est bonus; Paulus non est bonus.

#### REPUGNANTIA.

Quid sunt Repugnantia? *Contrariorum consequentia*, v.gr. Amicitia, & inimicitia contraria sunt: ex amicitia nascitur amor; ex inimicitia odium: odium igitur est repugnans amicitiae; amor vero inimicitiae.

#### ANTECEDENTIA, & CONSEQUENTIA.

Quid sunt Antecedentia? *Sunt ea, quibus positis, necessario consequentia ponuntur*; v.gr. Posito igne, ponitur calor.

Quid sunt Consequentia? *Ea quae necessario antecedentia consequuntur*, ut dies solem, calor ignem.

#### ADJUNCTA.

Quid sunt Adjuncta? *Signa, & circumstantiae, quae ita rebus accidunt, ut illis necessario non haereant, ut:*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus:

Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Quot sunt Adjuncta? Septem hoc carmine comprehensa:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

*Quis* personam spectat, in qua considerantur Adjuncta Corporis, Animi, & Fortunae.

*Corporis*, ut robur, vel imbecillitas, pulchritudo, vel deformitas, &c.

*Animi*, ut virtutes, vel vitia, ingenium, mores, artes, scientia, doctrina, vel ignorantia.

*Fortunae*, ut Genealogia, Patria, Dignitates, copia, vel rerum inopia.

*Quid* expendit Adjuncta facti, an facile, an difficile, an honestum, an turpe; &c.

*Ubi* designat locum, ut si amoenus sit, fertilis, sacer, profanus, publicus, privatus, &c.

*Auxilia* complectuntur socios, instrumenta, & arma, quae ad rem gerendam adhibentur.

*Cur* explorat causam finalem, propter quam res geritur, an amoris, odii, vel invidiae causa, &c.

*Quomodo* indicat rei gestae modum, ut: Qua violentia, qua celeritate, &c.

Totam etiam facti seriem evolvit, ad quam pertinent *Praecedentia, quae rem antecedunt*, ut belli apparatus ante proelium; *concomitantia, quae rem concomitantur*, ut militum concursus, vulnera, &c. & *Subsequentia, quae rem subsequentur*, ut Hostium fuga, captivitas, &c.

*Quando* temporis partes, noctem, diem, ver, &c. & varias illius vices, ut pluviam, serenitatem, &c.

**COMPARATIO.**

Quid est Comparatio? *Duorum, aut plurium collocatio, spectata eorum quantitate*, non physica, juxta mensuram, pondus, & numerum; sed Rhetorica juxta majorem, parem, minorem scilicet probabilitatem, rationem, &c.

In quo differt a similitudine? Comparatio considerat rei quantitatem; similitudo vero qualitatem.

Quot sunt Comparationis species? Tres: *Parium*, quae ejusdem sunt quantitatis; *Majorum*, quae majoris sunt momenti in comparatione; *Minorum*, quae minoris sunt momenti.

Quot modis tractatur Comparatio? Tribus: *A pari*, cum contendimus valere in una re id, quod valet in alia pari, v.gr. Patris interfeutor reus est mortis; ergo etiam matris occisor.

*A majori ad minus*, quum minus deducitur ex majori, v.gr. si pro amico debet alter mortem subire: ergo multo magis aliquam sollicitudinem.

*A minore ad majus*, quum majus colligitur ex minori, v.gr. si plectendus est, qui laesit verbo: an non ille puniendus, qui caedit gladio?

**CAUSA.**

Quid est Causa? *Principium, cujus virtute aliquid fit.*

Quot sunt causarum genera? Quatuor: Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.

Quid est causa Efficiens? *Principium, a quo res fit*, ut: Pictor est causa efficiens picturae. Huic subduntur causae adjuvantes, & destruentes, ut calamus, leges, morbi.

**CAUSA MATERIALIS.**

Quid est causa Materialis? *Principium, ex quo, vel in quo res fiunt, vel circa quod efficientis actio versatur*. Ex qua triplex causa materialis eruitur: 1. Ex qua aliquid fit, ut: ex ferro ensis. 2. In qua aliquid fit, ut: tabula est materia, in qua fit, pictura. 3. Circa quam aliquid fit, sic: Imagines, seu res pingendae sunt materia, circa quam Pictor suam artem exercet.

**CAUSA FORMALIS.**

Quid est causa Formalis? *Principium, per quod res est id, quod est, & ab aliis distinguitur*: sic Anima rationalis est hominis formalis causa; & est triplex: *Essentialis*, per quam res constituitur talis, ut homo per Animam rationalem. *Accidentalis*, sine qua res intelligi potest perfecta, ut albedo respectu parietis. *Artificialis*, quae ab arte conficitur, ut: *forma statuae, arcae, &c.*

**CAUSA FINALIS.**

Quid est causa Finalis? *Principium, cujus gratia aliquid fit*, ut: Finis medicinae est sanitas; Belli, victoria, &c.

**EFFECTUS.**

Quid sunt Effectus? *Quae sunt orta de causis*, ut: Virtus parit laudem; voluptas infamiam; ergo illa amplectanda, haec fugienda. Quaelibet causa suum habet effectum, immo, & in unum omnes concurrunt, v.gr. ad fraenum faciendum concurrit Faber, ut causa efficiens; Ferrum, ut materia; Figura fraeni, ut forma; gubernatio equi, ut finis, propter quem fit fraenum.

**CAP. III. DE LOCIS REMOTIS.**

Quot sunt loci remoti? Sex: Praejudicia, Fama, Tabulae, Quaestiones, Jusjurandum, & Testes.

Quid sunt Praejudicia, seu judicia prius in re simili formata? *Sententiae de praesenti, vel simili causa jam pronunciate*, v.gr. Fures ab incorruptis iudicibus iudicati, semper damnati sunt; ergo & hi Fures sunt damnandi.

Quid est Fama, seu Rumor? *Sermo vulgatus multitudinis consensu confirmatus*, v.gr. Apud omnes notum est, Lepidum esse a culpa immunem; ergo, & a poena immunis esse debet.

Quid sunt Tabulae? *Testimonia scripto prolata ad rei fidem*, v.gr. constat ex publicis Tabulis,

Lepidum plus accepisse, quam dedisse: ergo ad integram restitutionem cogendus est.

Quid sunt quaestiones? *Tormenta, seu cruciatus, quibus a Reo veritas extorquetur*, ex quo loco sic arguitur: Non potuit tantis tormentis ab isto quidquam extorqueri; ergo credendus est causae inscius.

Quid est Jusjurandum? *Assertio alicujus rei religioso ritu facta*. Ex quo ita fit argumentum: Quum sit Religiosus, interponit juratam fidem; igitur nullam culpam contraxit.

Quid sunt Testes? *Qui rem testimonio confirmant*. v.gr. Adest vir summa Religione, & auctoritate Lucius Lucullus, qui non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit; ergo Archias est adscriptus Heracliensium Civitati.

Ad hos locos te conferas, si amplissimam dicendi Provinciam ingredi velis.

#### CAP. IV. DE ARGUMENTATIONE.

Quid est Argumentatio? *Argumenti explicatio*. Si dicas: Virtus est expetenda ob gloriam, quam affert; hic est simplex modus arguendi ab effectis, quem locum validus pertractat argumentatio hoc modo:

*Quod gloriam affert est expetendum;*

*Sed virtus gloriam affert:*

*Ergo virtus est expetenda.*

Omnis igitur Argumentatio nititur argumento, & ratione a locis Oratoris desumpta.

Quot sunt Argumentationis genera? Duo: Syllogismus, & inductio.

Quid est Syllogismus? *Argumentatio, quae ex duabus propositionibus artificiose dispositis tertiam colligit*. Tribus itaque propositionibus constat, quarum prima dicitur *Propositum*: Secunda *Assumptio*: Tertia *Complexio*.

Quot sunt modi syllogismi? Quatuor, his vocibus fictis comprehensi:

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

Quae sequenti disticho explicantur.

Asserit A, negat E, verum generaliter ambo:

Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

##### *Modus Primus.*

*Bar* Omne honestum est expetendum;

*Ba* Sed omnis virtus est honesta:

*Ra.* Ergo omnis virtus est expetenda.

##### *Secundus modus.*

*Ce* Nullum honestum est vituperabile;

*La* Sed omnis virtus est honesta:

*Rent.* Ergo nulla virtus est vituperabilis.

##### *Tertius modus.*

*Da* Omne honestum est utile;

*Ri* Sed aliquod otium est honestum:

*I.* Ergo aliquod otium est utile.

##### *Quartus modus.*

*Fe* Nullum honestum est vituperabile;

*Ri* At aliquod otium est honestum:

*O.* Ergo aliquod otium non est vituperabile.

Quot Argumentationis species ad Syllogismum revocantur? Quatuor: Epicherema, Enthymema, Dilemma, & Sorites.



**EPICHEREMA.**

Quid est Epicherema? *Argumentatio, quae majori numero partium a Syllogismo differt*, v.gr. Quod cruciat animum ingens supplicium est, quia torquet nobiliorem Hominis partem; at culpa cruciat animum, quia conscientiae stimulis ferit; ergo culpa ingens supplicium est.

**ENTHYMEMA.**

Quid est Enthymema? *Syllogismus imperfectus*. Nam si Syllogismo demitur aliqua pars fit enthymema, v.gr.

*Virtus est bona;*

*Ergo virtus est amplectenda.*

Hic demitur haec Propositio: Quod est bonum est amplectendum.

**DILEMMA.**

Quid est Dilemma? *Argumentatio duabus partibus constans, quarum utraque adversarium ferit*; verbi causa: Aut amicum amas, aut odio habes; si amas, cur laedis? Si odio habes, non ergo es Amicus.

**SORITES.**

Quid est Sorites? *Argumentatio pluribus argumentis a se invicem dependentibus constans*; v.gr. Filius imperat matri, mater imperat mihi; Ego impero Atheniensibus; Athenienses imperant toti Graeciae; ergo toti Graeciae imperat filius.

**INDUCTIO.**

Quid est Inductio? *Argumentatio, quae a pluribus particularibus aliquid infert.*

*Vel per Exempla, ut:*

Dionysius, Caesar, Nero, Caligula, & alii plurimi infelicem vitae exitum habuerunt: Igitur omnes Tyranni talem infelicem vitae exitum debent pertimescere.

*Vel per Similitudines:*

Sicut non ornata, divesque navis laudantur, sed firma, & velox: Non gemmatus gladius, sed acutus; non formosa regula, sed recta; ita non locuples, sed probus Homo laudandus.

*Vel per Partium Enumerationem.*

Ver nimbis obnoxium est, aestas fervet, Autumnus madet, hiems alget: nulla igitur anni tempestas a molestiis vacat.

*Vel per Specierum Enumerationem.*

Magnam exigit diligentiam Rhetorica; multum laboris ars Poëtica; Plurimum studii Philosophia, &c. omnes igitur bonae artes non nisi studio, labore, ac diligentia comparantur.

**EXEMPLUM.**

Quid est Exemplum? *Argumentatio, quae per aliquod particulare, aliud simile probat*, ut:

Tiberius Gracchus mortem meruit, quod Rempub. turbaret: ergo Catilina Reipub. perturbator, mortem meretur. Argumentationum artem ita tegas oportet, ut Oratio Oratoria dialecticis disputationibus similis minime videri possit.

**CAP. V. DE AMPLIFICATIONE.**

Quid est Amplificatio? *Oratio, quae in aliqua re latius exornanda immoratur idoneis locis, & figuris.*

Ad amplificationem contendam duo quaerenda sunt: materia, ex qua ipsam efficias; & forma, qua materiam perficias.

Materiam dabunt loci Oratorii; Formam dabunt Tropi, & figurae, & coetera, quae ad ornatum conducunt.

*Verba ad Amplificationem idonea sunt.*

1. *Illustria*, quae rem ponunt ante oculos, ut: O tempora! O mores!
2. *Usitata*, quae ab omnibus facile intelliguntur.



3. *Gravia*.

4. *Plena*.

5. *Sonantia*.

6. *Iuncta*, quae ad majorem sonum componuntur, ut: contrucidare, pertimescere.

Faciunt etiam ad amplificationes Hyperboles, illustriores Metaphorae, Repetitiones, Gradationes, &c.

Locum habet Amplificatio in iis, quae summa sunt, magna, aut perutilia.

**CAP. VI. MOTUUM, SIVE AFFECTUUM CONCITANDORUM FONTES APERIUNTUR.**

Quid est Affectus? *Quidam animi impetus, quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum, ver aversandum.*

Quot sunt in homine partes? Duae: Concupiscibilis, & Irascibilis. Prima amat delectabilia; secunda difficilia aggreditur.

Quot sunt primae partis Affectus? Sex: *Amor, Desiderium, & Gaudium* circa bonum; *Odium, Fuga, & Tristitia* circa malum.

Quot enumerantur in secunda? Quinque: *Spes, & Desperatio* circa bonum arduum; *Timor, Audacia, & Ira* circa malum arduum.

Quot igitur statuuntur Affectus? Undecim: *Amor, Desiderium, Gaudium; Odium, Fuga, Tristitia; Spes, Desperatio; Timor, Audacia, & Ira.*

§. I.

*De Amore, Desiderio, & Gaudio.*

Quid est Amor? *Est affectus, quo alicui bene volumus, eique benefacimus, non nostra, sed illius causa.* Quot sunt principia, quibus accenditur Amor? Tria: *Honesta, Utilia, & Jucunda.* Sub honesto comprehenditur excellens quaedam, & rara virtus, familiaris consuetudo, Modesta pulchritudo, Animi Nobilitas, Urbanitas, Constantia, Fidelitas. Sub utili comprehenduntur Beneficia, Grati animi significatio.

Sub Jucundo comprehenditur Bonorum, & Malorum communitas, Morum similitudo, Studiorum similitudo, Fiducia, Periculorum similitudo, Familiaritas, Alienae virtutis commendatio, Injuriarum oblivio. Hae sunt praecipuae amoris causae, quas qui in se habuerit, amabitur; easque si reperiat in aliis, eos pariter redamabit.

Quid est Desiderium? *Affectus appetitus sensitivi tendens in bonum absens, quatenus obtineri potest.*

Quanam Arte exprimendum erit Desiderium? Ex his: A laude, ab honesto, a Spe.

Quid est Gaudium? *Opinio recens boni praesentis, in quo efferi rectum esse videatur.*

Quomodo excitatur Gaudium? Malae fortunae commutatione, Comparatione propriae fortunae cum aliena, Insuperato bono, Novitate, & Admiratione, Pompae celebritate, Amoenitate, Virtute, & Bona conscientia.

§. II.

*De Odio, Fuga, & Tristitia.*

Quid est Odium? *Affectus animi aversantis id, quod malum esse putatur.*

Quae concitant odium? Incommoda, Calumnia, Contemptus, Personae laedentis species, Personae laesae dignitas, Improbitas, Comparatio, Injuriarum figurata descriptio, Exclamatio.

Quid est Fuga? *Est Affectus ex odio profectus, quo a malo recedere fugiendo, vel detestando conatur.* Quomodo movetur Fuga? A laude, Ab honesto, a Spe. Quid est Tristitia? *Opinio praesentis mali.*

Quae movent Tristitiam? Consanguineorum vincula, Mortes, Funera, Bonorum amissio, Calamitatis indignitas.

Quae mitigant Tristitiam? Innocentia afflicti, Vitae conditio, Fortunae inconstantia, Exempla meliorum, Messis gloriae, Aequabilitas animi, Inutilis lacryma, Conformatio humanae voluntatis cum Divina, Felicioris vitae status, Tristitiae solatium ex studiis, Tristitiae solatium ex fletu, Tristitiae solatium ex sociis doloris.

## §. III.

*De Spe, & Desperatione.*

Quid est Spes? *Gaudium ex opinione imminentis boni.*

Quaenam sunt incitamenta, animum ad spem erigentia? Haec duo numerantur: 1. Honestas, & magnitudo boni: 2. Praesidia certa ad illud comparandum; qualia sunt opes, vires, industria, prudentia; Amicorum multitudo, Adversarium imbecillitas, favor Divinus, prospere gesta, proposita praemia.

Quid est Desperatio? *Aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum.*

Quae excitant animum ad Desperationem? Nulla subsidia, Difficultas, Calamitas, & Ignavia.

Quae sunt Desperationis remedia? Rei facilitas, culpae diminutio, in Deo fiducia.

## §. IV.

*De Timore, Audacia, & Ira.*

Quid est Timor? *Perturbatio nata ex opinione mali impendentis.*

Quaenam sunt artes, & industriae concitandi timorem? Tres potissimum: Prima si denuntietur aliquod malum grave, ut bellum, pestilentia, pauperies, infamia, infelix aeternitas.

2. Si ostendatur mali vicinitas, imminensque periculum.

3. Si proponatur malum non publicum, & commune, sed privatum, & proprium.

Quid est Audacia? *Affectus quidam animi adversus futurum malum quamvis arduum, ac difficile.*

Quomodo concitatur Audacia? Periculi extenuatione, Difficultate media ex parte superata, Injuria illata, Necessitate, Spe victoriae, Avita virtute, Gloria, & Virtute.

Quid est Ira? *Cupiditas sui ulciscendi, propter contemptum, cum dolore conjuncta.*

Quomodi excitatur Ira? Commemoratione illatae injuriae, Hostis gaudium in adversis rebus nostris, Personae contemptae dignitas, Levis causa contemptus, Amicorum despicientia, Fraus, & mendacium, Obtrectatio. Hae sunt primariae animi perturbationes ad quas aliae revocantur. Hoc est: Zelotypia ad amorem; Aemulatio ad Desiderium; Misericordia, & Invidia ad Tristitiam; Admiratio ad Gaudium; Verecundia, & Reverentia ad Timorem; Indignatio demum ad Iram. Adverte, operae pretium esse, ut in te impressi, atque inusti esse videantur affectus omnes, quos velis adhibere, ut optime monet Horatius in arte poetica

Si vis me flere, dolendum est

Primum ipsi tibi: Tunc tua me infortunia laedent.

**PRAECEPTIONIS ORATORIAE LIBER QUARTUS. DE DISPOSITIONE.***CAP. I. QUID SID DISPOSITIO, ET QUOT EJUS PARTES.*

Quid est Dispositio? *Rerum inventarum, & argumentorum in ordinem distributio.*

Est necessaria Dispositio? Non minus quam exercitus instructio ad pugnam; & victoriam.

Quid est Oratio Rhetorica? *Copiosus, Elegans, gravisque sermo ad persuadendum accommodatus.*

Quot sunt Rhetoricae Orationis partes? Sex: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Refutatio, Epilogus, seu Peroratio.

Narratio, Propositio, Confirmatio, & Refutatio valent ad fidem faciendam.

Exordium, & Epilogus ad animos movendos.

*CAP. II. DE EXORDIO.*

Quid est Exordium? *Pars orationis Auditorum animos idonee comparans ad reliquam dictionem.*

Difficillima orationis pars vocatur a Tullio.

Unde sumitur Exordii vox? A Textoribus, qui telam ordiri dicuntur, cum certa lege fila collocant, & componunt.

Quot sunt Exordii genera? Duo: Alterum justum; alterum ex abrupto.

Primum est: *Quod Auditorum animos praeparat ad audiendum.*

Quot modis praeparatur animus: Tribus: Si benevolus, attentus, & docilis fiat.

Benevolos Auditores tibi conciliabis, si eorum, sive majorum virtutes, ac merita commendes: si tuum in eos obsequium, amorem, curamque boni communis testeris. Attentos facies, si de magnis rebus, jucundis, novis, ad audientium utilitatem, aut ad Rempub. spectantibus dicturum te esse, praemonstres.

Dociles reddes, si brevitè, aperte, ac distincte qua de re sis dicturus, exponas.

Quid est Exordium ex abrupto? *Repentinus in causam ingressus sine animorum praeparatione.*

Hoc utitur Orator, quum causa vehementiores exigit affectus, ut doloris, indignationis, laetitiae, &c.

Atque ideo fit per validiores figuras, per Apostrophen, Deprecationem, Exclamationem, Licentiam, &c.

Quot sunt species Exordii justii? Duae: Principium, & Insinuatio.

Quid est Principium? *Quod statim apertis rationibus Auditores benevolos, attentos, & dociles facit.*

Quid est Insinuatio? Artificiosa verborum, sententiarumque circuitio, qua sensim Orator in Audientium animos irrepit.

### CAP. III. DE EXORDIORUM FONTIBUS.

Quot sunt exordiorum fontes? Varii.

1. Exordium recte ducitur ab adjunctis Personae, rei, loci, ac temporis.
2. Ducitur exordium a rotunda, simpliciue rei expositione.
3. Ducitur a contrario, cum prima fronte ea videmur dicere, quae causae nostrae sint omnino contraria, & adversariis faveant, ut scilicet eos sensim in nostram sententiam pertrahamus.
4. Ducitur ab insigni quopiam effato, & dicto, vel ab illustri exemplo.
5. Ducitur ab insigni aliqua quaestione.
6. Praeclare admodum trahitur a suspensione, quae mirifice praeparat Auditorum animos, magnae rei alicujus expectatione.

Denique Exordium ab ipsis causae visceribus, hoc est intimis causae principiis trahendum est.

### CAP. IV. DE EXORDII VIRTUTIBUS, & VITIIS.

Quot sunt Exordii virtutes? Tres praecipuae: 1. Ut sit accuratum, & acutum. 2. Instructum sententiis, & ornatu. 3. Ut sit causae proprium.

Accuratum esse debet, hoc est cum cura, & labore factum. Acutum, hoc est ingeniosum, quale potissimum est, si de eadem re duo opposita vel affirmantur, vel negentur, ut si de Bidermanno a Sancta Afra, qui ad extinguendam libidinem volutabatur in igne, dicas: *Frigus ab igne venit.* Instructum sententiis, ornatu, hoc est tropis, ac figuris conspicuis verborum, & sententiarum cum omni ornatu, dum absit inanis tumor.

Ut sit causae proprium, id est ex ipsa re, de qua agitur, natum.

Quot sunt Exordiorum vitia? Sex: Nimis longum, vulgare, commune, Commutabile, translatum, & separatum.

### CAP. V. DE PROPOSITIONE.

Quid est Propositio? *Totius Orationis summa.*

Quot sunt propositionis species? Duae: Simplex, & Digesta.

Quid est Propositio simplex? *Quae per simplicem expositionem unum aliquid proponit confirmandum.*

Quid est Propositio Digesta? *Eorum partitio, quae confirmaturi, aut tractaturi sumus.*

Ternarium numerum non excedant.

Quot sunt Propositionis dotes? Hae praecipuae. 1. Ut sit clara. 2. Ut tractari copiose, & ornari facile possit. 3. Ut propositio vel ipsa novitate percellat, vel insigni aliqua utilitate placeat.

Quomodo novitatem habebit Propositio? Si argumentum ita proponatur, ut ex vulgari fiat inusitatum. v. gr. vulgaris est haec Propositio: *Homo multorum sibi malorum auctor est*. Fiet vero nova, si dicas cum Chrysostomo: *Nemo laeditur, nisi a se ipso*.

Quomodo utilitatem habebit? Si non est contemplativa, quemadmodum ista: *Stultorum infinitus est numerus*. Sed Activa, ut: *Ferenda sunt Amicorum vitia*.

#### CAP. VI. DE NARRATIONIBUS, ET EJUS VIRTUTIBUS.

Quid est Narratio? *Rerum gestarum, vel ut gestarum expositio*.

Quot sunt Narrationis species? Duae: Altera, quae in omnem orationis partem venit, de qua in Progym. Altera, quae certam sedem in Oratione Rhetorica habet.

Quid est ergo narratio Rhetorica? *Rerum expositio, seu explanatio, & quaedam quasi sedes, & fundamentum statuendae fidei*.

Quot sunt Narrationis virtutes? Quatuor: ut sit Probabilis, Dilucida, Brevis, & Suavis.

*Probabilis* erit, si nihil contineat a communi opinionione alienum.

*Dilucidam* reddet elocutionis candor, & ordo narrandi si non temere misceantur ima summis, media primis.

*Brevis* erit, si non longius petatur, si non eadem repetat, si non minutioribus immoretur: sat brevis ea censetur, in qua nihil otiosum est.

*Suavem* facit styli elegantia, Troporum, ac Figurarum varietas, Descriptionis, Suspensionis, Apostrophes, Communicationis, Exclamationis, &c.

#### CAP. VII. DE CONFIRMATIONE.

Quid est Confirmatio? *Rei propositae probatio, qua ea, quae pro nobis sunt confirmamus*.

Quo ordine sunt argumenta in Confirmatione disponenda? Primo firmum aliquod ponatur; summo firmissimum; imbecilliora medio.

Nihilominus optima argumentorum series est, ut a firmis ad firmissima progrediamus: Ast a potentissimis ad levissima nunquam decrescat oratio.

Exornandae sunt Argumentationes opportunis Amplificationibus, & Figuris.

#### CAP. VIII. DE REFUTATIONE.

Quid est Refutatio? *Contrariorum argumentorum dissolutio*.

Quem locum tenet Refutatio in oratione? Si agimus nostra, confirmanda sunt primo; Tum, quae nostris opponuntur, refutanda; si respondemus, prius incipiendum est a refutatione; Deinde nostra confirmamus.

Confutari possunt quae objiciuntur, quum illa negamus demonstrando esse falsa a rei improbabilitate, obscuritate, repugnantia, inutilitate, quae neque Personas deceant, neque suis circumstantiis congruant.

Aut per praeoccupationem, quum antequam adversarius quidquam objiciat, nos mente praeoccupamus, & aliqua firma ratione diluimus.

#### CAP. IX. DE EPILOGO.

Quid est Epilogus? *Exitus, vel determinatio totius orationis*.

Quot partes continet Epilogus? Duas: Enumerationem partium, & Amplificationem.

Quid est partium Enumeratio? *Brevis praecipuarum rerum in oratione dispersarum collectio*.

Quid est Amplificatio? *Vehemens quaedam argumentatio, aut ad commovendos affectus, aut ad probandum instituta*.

Hic Orator omnes eloquentiae fontes debet aperire, & per tropos, ac figuras, ad argumentorum locos discurrere, Auditorum animis omnia afferendo incitamenta.

Sit tamen ipse concitatus prius iisdem affectibus, quos in aliis intendit excitare.

Laetus sit orator, si laetitiam insinuet; moestus, si moestitiam; si metum metuat; si iram irascatur.

*CAP. X. DE PROGYMNASMATIS.*

Quid est Progymnasma? Praeludium seu exercitatio ad orationem rhetoricam.

Quotuplex est Progymnasmatum genus? Triplex: Generis Demonstrativi, generis Deliberativi, & generis Judicialis.

Quot sunt Progymnasmata generis Demonstrativi? Quinque: Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Descriptio, & Ethopoeia.

*LAUDATIO PROGYM. PRIM.*

Quid est Laudatio? *Oratio encomiis prosequens bona, quae in aliqua re insunt.*

Quot partibus tractatur? Quatuor: Exordio, Expositione, Comparatione, & Epilogo.

Exordium rei laudandae exprimit dignitatem.

Expositio rei dotalia, sive praesentia, sive praeterita, sive futura declarat.

Quot sunt rei dotalia? Sex: Genus, natura, educatio, mores, actiones, & honores.

Quid genus considerat? Nationem, & faelicem Nativitatis eventum.

Quid natura perpendit? Bona animi, & corporis. Bona animi sunt: Acumen, capacitas, facilitas, subtilitas, ingenium, memoria, intellectus, voluntas pia, & animus docilis. Bona corporis sunt. Pulchritudo, vires, comitas, affabilis gravitas, &c.

Quid educatio respicit? Institutores, quos habuerit, & artes, & scientias, quas fuerit Persona laudanda professa.

Quid actiones? Singulas virtutes, quibus eniteat, & res gestas memoria dignas.

Quid mores? Honestas, pias, & alias corporis exercitationes, quibus nobilem decet incumbere juventutem.

Quid honores? Exterorum aestimationem, & dignitates, seu gradus, quibus fungatur, vel functus fuerit.

Comparatio, ingenium ingenio, virtutem virtutibus, & facta factis comparabit.

Epilogus res propositas perfunctorie attingit, & ad Personae laudatae imitationem Auditores excitantur.

*AD LAUDES DEI.*

Deum laudabis: 1. Ab ipsius natura, & Majestate. 2. Ab ipsius attributis. 3. A mira rerum conditione, orbis pulchritudine; &c. 4. A beneficiis, quae nobis confert, contulit, & conferet.

*AD LAUDES ANGELORUM.*

Angelos laudabis: 1. A natura, & perfectione, qua cunctis rebus creatis praeferuntur. 2. A perspicacitate intelligentiae, qua multa scire possunt. 3. A titulis, & nominibus, quibus decorantur. 4. A gratia divina, qua ita sunt confirmati, ut a bonitate nequeant deflectere.

*AD LAUDES SANCTORUM.*

Sanctos laudabis: 1. Exordium sumes a meritis, quibus Deo gratissimi fuerunt. 2. A communi Auditorum laetitia, qui in ea solemnitate gestire videntur. 3. A populorum frequentia, qui Beati sanctitatem venerantur. Narratio tractatur amplissima ab assignatis capitulis in laudatione.

*AD LAUDES BRUTORUM.*

Bruta laudabis: 1. A natura, & proprietatibus. 2. A robore, velocitate, sagacitate, ferocitate. 3. Ab alicujus sensus acumine, ut olfactus in cane, visus in lynce. 4. Ab utilitate, quam hominibus important.

*AD LAUDES PLANTARUM.*

Plantas laudabis: 1. Ab inventore, ut olivam a Pallade. 2. A significatione, ut palma victoriae symbolum. 3. A tempore opportuno, quo fructus producunt. 4. A pretiositate frugum, & florum pulchritudine, odore, colore, &c.

*AD LAUDES REGIONUM.*

Regiones laudantur: 1. Ab amplitudine, & longo terrarum spatio. 2. A situ optimo, & apto ad fruges. 3. A planitie. 4. Ab urbium, castellorum frequentia, & celebritate. 5. Ab Animalium copia. 6. A tuto itinere. 7. Ab humanitate gentium.

*AD LAUDES URBIUM.*

Urbes laudabis: 1. A Fundatore. 2. Ab antiquitate. 3. A situ loci. 4. Ab aquarum salubritate, fontibus, &c. 4. A Religione, a moribus honestis habitantium, & ab scholis. 5. A nobilitate civium.

*AD LAUDES DOMORUM.*

Domus laudantur: 1. Ab Architecto. 2. A materia pretiosa. 3. Ab amplitudine aedificii. 4. A cubiculis commodis. 5. Ab hortis, fontibus, statu is marmoreis, & picturis.

*AD LAUDES FLUVIORUM.*

Flumina laudantur: 1. Ab ortu. 2. A multitudine aquarum. 3. A piscium generibus. 4. Ab aliorum fluminum in se receptione.

*AD LAUDES MONTIUM.*

Montes laudantur: 1. Ab altitudine, & magnitudine. 2. A radicibus amoenis. 3. Ab aquis inde scaturientibus. 4. A copia frugum. 5. Ab aeris puritate, & salubritate. 6. A prodigiis illic peractis.

*AD LAUDES SCIENTIARUM.*

Scientias laudabis. 1. A genere, quod sint a cerebro Jovis. 2. A materia, in qua versantur. 3. Ab utilitate, & ornamento, quum sine scientiis vita nostra sit obscura. 4. A delectatione, praemiis, &c.

Materia vituperationis a contrariis desumitur locis.

*VITUPERATIO PROGVM. SECUN.*

Quid est Vituperatio? *Oratio convitiis prosequens mala, quae in aliqua re insunt.*

Tot habet partes, quot Laudatio, sensu tamen contrario.

*COMPARATIO PROGVM. TERT.*

Quid est Comparatio? Est oratio aliquid ex iis, quae confert inter se, majus, minus, aut aequale ostendens. Omnia, quae laudantur, aut vituperantur, possunt etiam comparari: et iisdem capitibus dilatatur.

*DESCRIPTIO PROGVM. QUART.*

Quid est Descriptio? *Picta orationis coloribus imago.* Quot sunt Descriptionis species? Quatuor: Prosopographia, Topographia, Chronographia, Pragmatographia.

*PROSOPOGRAPHIA.*

Quid est Prosopographia? Est: *Personae descriptio ab exteriori corporis specie.*

Hujus est exprimere oris delineamenta, colores, membrorum deformitatem, vocem, incensum, &c.

*TOPOGRAPHIA.*

Quid est Topographia? Est: *Loci descriptio.* Hujus est exprimere rei situm, figuram, moenium ambitum; aedes sacras; ordinem equestrem, militarem, &c.

*CHRONOGRAPHIA.*

Quid est Chronographia: *Temporum descriptio*, ut diei, noctis, aurorae, &c.

**PRAGMATOGRAPHIA.**

Quid est Pragmatographia? Est: *Rei, vel facti descriptio*. Harum omnium exempla vide lib. 2. cap. II.

**ETHOPOEIA PROGYM. QUIN.**

Quid est Ethopoeia? *Morum & affectuum expressio, Personae indolem, animique motus describens*.

Differt a Prosopographia, quia haec exteriorem Personae speciem; Ethopoeia vero interioris Hominis effigiem repraesentat.

Quot sunt Progymnasmata generis Deliberativi? Quinque: Fabula, Narratio, Chria, Sententia, & Thesis.

**FABULA PROGYMN. PRIM.**

Quid est Fabula? *Sermo falsus veritatem effingens*.

Quot sunt ejus partes? Duae: Narratio rei fictae; & admonitio, quae si narrationi praeponeatur dicitur Praefabulatio; si postponitur Affabulatio.

Quot sunt Fabularum species? Tres: Rationalis, seu parabola, *qua fingimus aliquid ab homine dictum vel factum*; possibile tamen fieri, vel dici. Moralis, *qua naturam, & indolem belluarum exprimitur ad humanos mores informandos*. Mixta, *qua homines cum belluis sermocinari fingimus*.

Quot partibus tractatur Fabula? Sex: 1. Exordium a laudibus Fabulatoris desumpto. 2. Expositione Fabulae, quae ad aliquam vitae institutionem referatur. 3. Descriptione naturae rerum, quae in Fabula tractantur. 4. Sermocinatione. 5. Collatione hujus facti cum alio. 6. Epilogo.

**NARRATIO PROGYMN. SECUN.**

Quid est Narratio? Est: *Rei gestae, vel tanquam gestae expositio*.

Quot sunt Narrationis Species? Duae: Altera Civilis, quae Rhetoribus relinquatur. Altera non alligata civilibus causis, quae in omnem orationis partem venire potest.

Huic Narrationi praeponeatur exordium ab auctoris, vel rei narrandae laude, vel vituperatione; Praeterea disponetur Narratio per adjuncta: *Quis, quid, ubi, &c.* Subjunges Epilogum, qui adhortationem, aut dehortationem juxta Narrationis seriem contineat.

**CHRIA PROGYMN. TERT.**

Quid est Chria? *Brevis commemoratio alicujus dicti, aut facti, aut utriusque*.

Quot sunt Chriae species? Tres: Verbalis, quae merum dictum commemorat. Activa, quae solum factum refert. Mixta, quae factum aliquod sermoni junctum exponit.

Quot sunt Chriae partes? Octo: Encomium, quod est: *Breve exordium desumptum a laudibus Auctoris sententiae, seu actionis*.

2. Paraphrasis, vel expositio, quae est: *Clarius sententiae, vel facti explanatio*.

3. Causa, quae est: *Ratio, quae sententiam, vel actionem assumptam probat*.

4. Contrarium, quod est: *Argumentum ab oppositis deductum*.

5. Simile, quod est: *Idonea propositae rei explicandae similitudo*.

6. Exemplum, quod est: *Commemoratio alicujus facti, ad rem praesentem accommodati*.

7. Testimonium, quod est: *Sapientis Auctoris sententia ad suscepti argumenti confirmationem adducta*.

2. Epilogus, qui est: *Brevis totius Chriae conclusio*.

**SENTENTIA PROGYMN. QUART.**

Quid est Sententia? *Est oratio dictum quodpiam sive hortans, sive dehortans breviter explicans*.

Quot sunt species Sententiae? Exhortans, Dehortans, & Enuntians. Iisdem tractatur capitibus, atque chria. Hic tamen exordium sumitur a Sententiae laudibus.

*THESIS PROGYMN. QUIN.*

Quid est Thesis? *Deliberatio de re aliqua citra circumstantiam Personae, vel temporis, vel loci, &c.*

Quot partibus tractatur Thesis? Tribus: 1. Exordio ex rei commendatione. 2. Confirmatione, quae per quatuor capita legitimum, utile, justum, & possibile dilatatur. 3. Epilogo cum adhortatione ad rem exagitatam.

Quot sunt Progymnasmata generis Judicialis? Quatuor: Confirmatio, Confutatio, Locus communis, & Legislatio.

*CONFIRMATIO PROGYMN. PRIM.*

Quid est Confirmatio? *Est oratio rem propositam approbens.*

*CONFUTATIO PROGYMN. SECUN.*

Quid est Confutatio? *Oratio rem propositam cum subversione reprehendens.*

Quot partibus tractantur? Quatuor: Exordio, in quo res proposita, vel ejus Auctor laudatur, si confirmamus; vel vituperatur, si confutamus. Narratione exponente rem, de qua agimus.

Argumentis, quae a sequentibus fontibus hauriuntur.

Pro Confirmatione: A manifesto, probabili, possibili, consequenti, decenti, utili.

Pro Refutatione: Ab obscuro, incredibili, impossibili, inconsequenti.

Epilogo, qui fidem omnem probatae rei adscribit, si confirmat; vel omnem fidem sententiae adversanti denegat, si refutat.

*LOCUS COMMUNIS PROGYMN. TERT.*

Quid est Locus Communis? *Amplificatio manifesti, & communis criminis, ad supplicium, aut virtutis ad praemium.*

In quo differt a Laudatione? Locus Communis exaggerat communiter, laudatio vero, & vituperatio Personam privatam respiciunt.

Quot partes habet Locus Communis. Duas: Primam locutionem, quae conficit argumenta; & secundam locutionem, quae orationem eleganter exornat.

Quot partes comprehendit prima locutio? Quinque:

1. Exordium insinuans praemium, aut supplicium, quod Personae debetur.

2. Contrarium rei, quae tractatur.

3. Expositione facti ad Auditorum animos in amorem, vel odium excitandos.

4. Viri, aut rei cum simili comparationem.

5. Ostendit quibus gradibus eo malorum, vel bonorum Persona laudata, aut vituperata consenderit.

Quot habet partes secunda locutio? Tres.

1. Digressionem in anteactam vitam.

2. Allocutionem ad judicem, ut reus puniatur, & vir integer praemiis afficiatur.

3. Ostendere debet Orator per plura argumenta, reum puniri debere, & virum excellentem donis accumulari. Quomodo ostenditur? 1. A legitimo, id est a legibus; 2. A justo, hoc est ob justitiam. 3. Ab utili, propter commodum. 4. A possibili, quia fieri potest; 5. Ab honesto, propter laudem. 6. Ab eventu, videlicet ob bonum, vel malum eventurum.

*LEGISLATIO PROGYMN. ULT.*

Quid est Legislatio? *Oratio qua legem aliquam laudamus, vel vituperamus.*

Quot sunt partes Legislationis? Quatuor: Exordium, quod ab encomio legislatoris, vel e converso auspicatur.

2. Contrarium, quod evenisset, si lex deficeret, vel sanciretur.

3. Argumenta desumpta a legitimo, justo, honesto, utili, si laudamus; Vel e contrario si vituperamus.

4. Epilogus breviter res propositas repetens. Et haec de Progymnasmatum regulis, praxim quaeramus.



**LIBER QUINTUS DE MEMORIA, ET PRONUNTIATIONE.**

Inter Oratoris officia Memoria annumeratur, & Pronuntiatio: illa ut superiorum Oratoriae munerum sit fidelis custos; haec vero ut motus totius orationis, & affectus animis auditorum vivide imprimat.

**CAP. I. DE MEMORIA.**

Quid est Memoria? *Firma rerum, & verborum perceptio, cujus virtutes sunt facile percipere, & fideliter continere* (Quint. l. I, c. 5).

Quot sunt species Memoriae? Duae: altera naturalis, artificiosa altera. Naturalis: *Quae ab auctore naturae nostris animis insita est.* Artificiosa. *Quae arte comparatur.*

Ast parum artificium prodest cui vim memoriae natura negavit; si tamen a natura eam accepisti, augmentum habere poterit. 1. Exercitatione. 2. Frequenti rerum meditacione.

Idcirco Crassus dicebat, exercendam memoriam ediscendis ad verbum, quamplurimis, & nostris, & alienis scriptis.

Eam adjuvant facilis, ac natus scriptarum rerum ordo, quo inter se omnia apte copulata sint, & ex aliis, alia orta; opportunum, ac tranquillum discendo tempus, ut aut prima lux sit, aut obortae tenebrae, aut solitarius locus; mens quieta, integra, & vere libera.

Prodest etiam parcius cibus: obruunt enim memoriam immodicae commessiones, ac liberiores perpotationes. Proderit non modicum certarum rerum, ac maximarum localis memoria, ut advertas ubi tempestatem, ubi seditionem, ubi veris amoenitatem, &c. Sis dicturus.

Si remedia a peritis Medicis praescripta prosint ab ipsis inquire: quia haec non sunt Rhetorum institutum.

**CAP. II. DE PRONUNTIATIONE.**

Quid est Pronuntiatio? *Vocis, vultus, & totius corporis cum dignitate, & venustate moderatio.*

Quot sunt partes Pronuntiacionis? Duae: Altera, quae vocem format, & vere appellatur pronuntiatio. Altera, quae corporis motus moderatur, & actio vere dicitur, & aequivalens pronuntiatio. Illa aures, haec oculos afficit, ac movet. De utraque aliquid praecipendum.

**VOCIS MODERATIO.**

Quot sunt observanda in vocis moderatione? Duo: quid vitandum; quid amplectendum. Vitandum, ne vox sit unisona, ne sit inanis, ne sit cum cantu, aut sibilo, aut labiorum stridore emissa.

Amplectendum, ut sit virilis, suavis, perspicua, & accommodata rei, de qua agitur.

Res gravis vocem gravem requirit; causa mediocris, mediocre; laetitia, lenem, hilarem, tenuem; maeror, demissam, tremebundam, haesitantem; commiseratio, plenam, flebilem, interruptam; ira, acutam, incitatam, incendientem; molestia, gravem; & sono depressam: & in summa tot fient vocis mutationes, quot erunt animi affectiones, juxta illud Horat.

*Tristia moestum*

*Vultum verba decent, iratum plena minarum.*

Praeterea in exordiis depressiori voce utendum, ita tamen ut clare audiatur, verecunda, temperata, venusta, leni: postea ipsa magis assurgat. In narratione sit plena, & aperta. In Propositione sit vox tardior, & clarior, ut scopus orationis facilius intelligi queat. In Contentione, & argumentorum expositione validior, acrior, celerior, & juxta rei naturam nunc attollatur, nunc deprimatur. In Epilogo libera, mascula, & excitata, cum Orator jam quasi parta victoria, triumphum accinere videatur

**ACTIONIS, & GESTUS MODERATIO.**

Actio omnes animi motus subsequatur; non tamen scaenica, quae singula verba exprimat, sed gravis sit, & apta rei significandae.

Corporis motus sit decorus: status erectus. Caput decore compositum: si fuerit erectum, arrogantiam indicat, si demissum, humilitatem: ad dextrum latus inclinatum, aut dolorem, aut somnum.

Frons rugata, contemptum designat, ac iracundiam; serena, laetitiam, & clementiam.

Oculi animi lingua, si ardentes, iram; si attenti, curam; si clausi, odium; si admodum aperti, amorem, aut dementia; si semiaperti, insidias prae se ferunt.

Nares, si rugis exarentur, irrisionem ostendunt: saepe ipsas mundare, sicut passim spuere reprehenditur.

Labia neque nimis aperiantur, neque lingua attingantur.

Brachia nec adeo eleventur, ut manus os super excedant, nec gladiatorum more, nec nimium dilatentur.

Ad arguendum tamen, seu ad aliquam rixam describendam moderate extenduntur: & ad fortitudinem indicandam utraque arcus nervose efformant.

Manus nimium immota demissionem significat: erecta, minas; inclinata, reprehensionem.

Pollex, & index, caeteris extensis, ad explicandum, & arguendum junguntur.

Sinistra manus aliquando movenda, sed sociante dextra; haec enim fere totum actionis fert pondus.

Quando nominatur terra, demittitur; quando Coelum, elevatur. Dum eliciuntur suspiria, cor dextra tangitur, dum asseverat, aut ipse se Orator nominat, pectus; dum explicatur dolor, pars dolens attingitur.

Motus denique totius corporis ne sint cum profanitate leves, sed cum majestate graves, quae quidem omnia potius optimi Oratoris imitatio, quam hae nostrae praeceptiones, edocebit.